Lett

6
3-b
9 M

28.
I.VI. 32.

6
2 D
48

Digitized by Google

Digitized by Google

DIATRIBA

DE

GRAECAE LINGUAE

AD OMNE GENUS

DOCTRINAE ET ERUDITIONIS

UTILITATE.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

MEDIOLANI, MDCCXXIV.

Typis Haeredum Dominici Bellagattae.

Bibl: D. Blasii et Caroli de [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

AMPLISSIMO
ET
EXCELLENTISSIMO
SENATUI
MEDIOLANENSI.

BARTHOLOMAEUS OLIVATIUS

P. F.

OPuſculum in gratiam Juventutis ſcriptum Vobis PATRIAE PATRIBUS

dico, dedicoque. Vobis enim grati animi hoc qualecunque monumentum debeo, quod me in Patria ad Graecae Linguae Latinaeque Eloquentiae Cathedram admoveritis. Accedit quod res ipſa graviſſimo, Regioque Veſtro egeat Patrocinio; Jure enim optimo vobis convenire puto id, quod Marcus Cato apud Plutarchum (*) *de Romanis praedicabat, illos non ſolum purpurae, ſed etiam ſtudiis auctoritatem feciſſe:* Ut

enim

(*) In Vita Marci Catonis: Ὡ's γὰρ σιβαφεῖς, ἔφη, ταύτην μάλιςα βάπτουσιν ἣ χαίροντας ὁρῶσιν. ὅυτως οἱ νέοι ταῦτα μανθάνουσιν καὶ ζηλοῦσιν οἷς ἂν παρ' ὑμῶν ἔπαινος ἕπηται.

enim Infectores, inquit, hanc *(purpuram)* maximè tingunt, quam vident eſſe gratam: ita Juventus haec prae caeteris diſcit, & ſectatur, quibus honos habetur a vobis. *Hoc igitur Dignitati Veſtrae impar licet munuſculum, aequis ut accipiatis animis, Vos oro, & obſecro: eo enim fiet planè, ut pro Patriae decore ad majores Veſtris ſub Auſpiciis conatus calcar addatur diſcentibus, aequè ac mihi docenti. Qua quidem ſpe ductus, perennique obſequii lege Vobis Sin-*

gulis,

Digitized by Google

gulis , & Omnibus devotus , DEUM OPT. MAX. precor, ut perpetuam incolumitatem , ingenſque incrementum ad Populorum ſolatia , & ſalutem ORDINI VESTRO AMPLISSIMO impertiatur .

Dabam Mediolani IV. Nonas Octobris Anno AE. Ch. MDCCXXIV. Muneris publici I.

De

DE mandato Admod. Rev. P. Magiſtri Angeli Mariae Battiani Vicarii Generalis S Inquiſitionis Mediolani, ejuſque totius dominii librum hunc, cui titulus: *Diatriba de Graecae Linguae ad omne genus doctrinae, & eruditionis utilitate*, ab Illuſtriſſimo D. Abbate Don Bartholomaeo Olivatio conſcriptum, ac ſapientiſſimè elaboratum vidi ego infraſcriptus, nihilque in eo ſanae fidei doctrinae, honeſtis moribus, ac Apoſtolicis Conſtitutionibus repugnans inveni; Verùm ſummâ fui delectatione perfuſus intuens in eo omni ſcientiarum agnitione refertum Auctorem, ac Graecas litteras amantium profectum; Quarè, ut typis poſſit mandari, dignum cenſerem. XV. Kal. Octobris MDCCXXIV.

Franciſcus Maria Ripalta pro S. Inquiſitionis Officio &c.

IMPRIMATUR.

Fr. Angelus Maria Battiani Sac. Theol. Mag., ac S. Officii Mediolani Vicarius Generalis.

Franciſcus Curionus pro Eminentiſs., & Reverendiſs. D. D. Card. Archiep.

F. Ceſatus pro Excellentiſs. Senatu.

I. Propoſitio, Tractationiſque argumentum.

QUum in animum induxerim noſtrates ingenuos, eximiaeque indolis, ac frugis adoleſcentes, juveneſque, qui artium liberaliū, optimarumq; diſciplinarumviam auſpicatò ſunt ingreſſuri, aut jam nunc ingreſſi ſunt, ad Graecae linguae ſtudium aut magis incendere, aut de integro allicere, atque, ſi fieri poteſt, etiam impellere; eamque ob rem ipſis ob oculos ponere ejuſdem utilitatem, ac propemodum ad illum quem ſibi propoſuere finem neceſſitatem; duplex potiſſimum probationis ratio mihi videtur ineunda: Altera, Latinae linguae, & eruditionis (qua qui carent inter nos rudes, atque inculti exiſtimantur) cum Graeca arctam dari cognationem, affinitatem, neceſſitudinemque: Altera verò, diſciplinas omnes, humanioreſque litteras, quas a Graecis Romani accepere, noſque ab illis haud cupidè petere inglorium putamus, nullo unquam tempore, ac loco eximiè floruiſſe, nec a quoquam omnino in numerato habitas fuiſſe, niſi & quan-

do, & ubi, & a quibus exculta fuit graeca lingua. Utraque autem probatio poſtulat, ut quandam brevem litterariam hiſtoriam pertexam, qua primùm inquiratur, unde exordium habuerit Latini cum Graeco idiomate affinitas, ſimilitudo, & conjunctio; ac deinde oſtendatur, quonam tempore, & modo, & quibus Romanorum Graeca lingua, & eruditio doceri, ediſci, atque excoli coeperit: & quando, & quomodo declinaverit, & lapſa ſit, & ferè jacuerit; & denique iterum una cum Latina eruditione, diſciplinisſque cunctis, ac artibus liberalibus revixerit. Ex ſimilitudine enim perpetua fati, quod per tot ſaecula jam habuit commune Latina cum Graeca lingua non ineptè ſuſpicari, imo credere licet, idem quoque in poſterum eventurum.

II. De Romanorũm ex Graecis origine quorũdam Sententia.

II. Ut nihil eorum, quae ad initia Latinae ex Graeca lingua referri poſſunt, praetermiſiſſe videamur, nonnullorum illuſtrium virorum de ipſa Latinorum origine ſententiam adferre libet. Contra opinionem illorum, qui Romanos a Trojanis genus trahere firmè credunt, ac ſuſtinent, ſentiunt quidam praeſtantiſſimi ſcriptores, ut refert Janus Vincentius Gravina (a), noſtri

(a) J. Vincent. Grav. dial. de ling. Lat.

noſtri aevi vir planè eruditus, inter quos duo caſtigatiſſimi antiquitatis interpretes Joſephus Scaliger, ac Samuel Bochartus, Romanos profectos eſſe ex Aborigenibus, quorum genus a Graecis plerique Hiſtorici repetunt. Multo namque tempore ante bellum Trojanum Arcades, qui a Pelaſgis vetuſtiſſima Graecorum gente erant oriundi, duce Oënotro Lycaonis Filio ex Peloponneſo in Italiam ſeſe effuderunt, & cum montes occupaſſent, a finitimis Aborigenes (Graecis enim mons ὄρος dicitur) appellati fuere. Nec omiſerim, quae refert Strabo (a) de Romanae gentis origine: Καὶ ὁ Κεκίλιος ὁ τῶν Ῥωμαίων συγγραφεὺς τοῦτο τίθεται σημεῖον τοῦ ἑλληνικὸν εἶναι κτίσμα τὴν Ῥώμην τὸ παρ' αὐτῇ τὴν πάτριον θυσίαν ἑλληνικὴν εἶναι τῷ ἡρακλεῖ; hoc eſt: *Et Coecilius rerum Romanarum ſcriptor eo argumento colligit Romam a Graecis eſſe conditam, quòd Romani Graeco ritu antiquo inſtituti Herculi rem ſacram faciunt.*

III. Illi verò, quibus Romanos a Graecis genus ducere opinio eſt, eorum & linguam retinuiſſe autumant, inhaerentes auctoritati Dionyſii Halycarnaſsaei, qui, ut eodem loco Gravina, ſcribit Romanos nec fermè Graeca lingua uſos eſſe, nec planè

III. De linguae Latinae ex Graeca initiis.

 bar-

(a) Strabo lib. 5.

barbara, ſed ex utraque conflata, maximam verò partem Aeolica ἧς ἐστιν ἡ πλείων Αἰολίς ad quae deſcenderunt & Quintilianus, & duo laudati praeclariſſimi viri; quinimo Verrius inter veterem Romanam, & veterem Graecam minimum intereſſe contendebat hiſce ductus Ennii verſibus

Contendunt Graji, Grajos memorare ſolemus,
Quod Graeca lingua longo poſt tempore tractus,
Hos pavi:

Hoc idem Bembus noſter opinari videtur in illa proſa, in qua ait (a): *Siccome noi ora due lingue abbiamo ad uſanza, una moderna, che è la vulgare, l'altra antica, che è la Latina, così avevano i Romani uomini di quelli tempi, e non più: e queste ſono la Latina, che era loro moderna, e la Greca, che era loro antica.*

IV. De Romanum cum Graecis coloniis commercio.

IV. Priſcianus tamen de Aeolica, ac Dorica Dialecto, quam ſequuti ſunt Latini, ediſſerens, hujus rei cauſam non huic origini, ſed commercio, quod inerat inter ipſos, & Magnae Graeciae Populos tribuere videtur; quod diffiteri quemquam non crediderim ob ea, quae de Graecorum coloniis multas in partes emiſſis narrantur.

(a) Bembo nelle proſ. lib. 1.

tur. Nemo enim eruditorum ignorat profectò, quot a Graecis, uſquedum eorum fuit integra libertas, in plurima orbis loca miſſae fuerint coloniae; quo factum eſt, ut eorum lingua quam latiſſimè diſſeminaretur, atque floreſceret. Celeberrima illa fuit Aſiae, quae Doribus, Aeolibus, & Jonibus componebatur, nec non eae omnes, (inter quas vetuſtior illa Sardiniae Athenienſibus, ac Theſpienſibus deducta, teſte Pauſania (a);) quae pleramque Italiæ partem, dictam idcirco a Romanis Magnam Graeciam, occupaverant, ubi ingentes, atque inclytas Urbes condidiſſe Graecos aſſerit Strabo (b); quocirca ubique gentium floreſcebat Graeca lingua, qvum adhuc Latina intra ejus limites, & quidem anguſtos detineretur, ut Cicero (c) affirmat. Hinc non alienum omnino a veritate videtur res ſuas graecè tunc temporis Romanos ſcripſiſſe, ut omnibus innoteſcerent, quod non incongruè Auctor hiſtoriae Graecae linguae opinatur. (d)

V. Graeca veſtigia oſtenduntur in Latina lingua.

V. Utcunque ſit, nullus inficiari audebit, quorumcumque ferè temporum latinè ſcripta frequentibus ſcatere graeciſmis, ſeu dialectos, ſeu pleraque vocabula, ſeu inflexa nomina, diphtongos, ſyn-

(a) Pauſ. in Achaic. (b) Strabo lib. 5. & 6.
(c) Cicero pro Arch.
(d) Laurent. Ingevvald. Hiſtor. graec. ling.

ſyntaxes, proſodiam, & id genus alia ſpectemus;

VI. Nexuſque utriuſque, atque ſimilitudines in elocutionibus.

VI. Ita ut manifeſtus ſit nexus ille, quo Graeca ſimul & Latina vinciuntur, ut notat Quintilianus (a): *Sive illa ex Graecis orta tractemus, quae ſunt plurima, praecipuèque Aeolica ratione, cui eſt ſermo noſter ſimillimus declinata*; quod & pleniùs intueri nobis datum eſſet, ſi Flacci Verrii librum, quem citat Macrobius (b) haberemus.

VII. Ex loco Alphabeti, & Helleniſmorū: Dialectorum, aliorumque.

VII. Exiſtimaverit fortaſſe aliquis litteras omnes, quas Latinum continet Alphabetum, Latinas eſſe, cum & Y, & Z Graecorum ſint litterae, ut una cum Priſciano, caeteriſque Grammaticis teſtatur nobis Quintilianus (c): *Quas*, inquit, *mutuari ſolemus a Graecis, quoties illorum nominibus utimur*. Hoc quoque in diphtongorum uſu animadvertendum occurrit, quod veteres Latini diphtongis ai, ei, & oi, quæ reſpondent Græcis αι, ει, οι pro ae, i longo, & oe uterentur. Idem Quintilianus hoc comprobat (d), ubi de prima diphtongo ſic ait: *A, & I ſyllabam, cujus ſecundam nunc E litteram ponimus, variè per A, & I efferebant quidam ſem-*

(a) Quintil. Inſtitut. Orat. lib. 1. c. 6.
(b) Macrob. Satur. lib. 3. c. 18. (c) Quintil. lib. 12. c. 16.
(d) Idem lib. 1. c. 7.

Digitized by Google

ſemper , ut Graeci , quidam ſingulariter tantum cum in Dativum , vel Genitivum caſum incidiſsent . Ac de ſecunda (a) *Diutius duravit , ut E , I jungendis eadem ratione , qua Graeci* ει *uterentur* . Scaurus autem (b) de latinis diphtongis *ae* , & *oe* ediſſerens ait : *Apud antiqucs I littera pro E ſcribebatur . Sed magis in illis E noviſſima ſonat* . In dimenſione autem ſyllabarum haud minus imitati ſunt Graecos Latini. Quemadmodum enim Graeci poſtremam alicujus dictionis ſyllabam , etſi brevem , producunt , quoties a duabus conſonantibus , aut a littera duplici incipit ſequens dictio , ut ex Homero patet

(c) Ἕλκετο δ' ἐκ κολεοῖο μέγα ξίφος .
Traxit autem e vagina enſem magnum
(d) Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν .
Multas verò fortes animas demiſit Orco
(e) Ὥς φάτο Πηλείδης ποτὶ δὲ σκῆπτρον βάλε γαίῃ
Sic dixit Pelides , ſceptrumque humi dejecit :

Ita & Latini , quamvis juxta tradita in eorum Proſodia nihil juvet praecedentem ſyllabam duplex conſonans ſubſequens , non rarò ad exemplum Graecorum eandem producebant . Vocales quoque longas , & diphtongos corripiebant , nec elide-

(a) Idem ibid. (b) Scaurus de Orth.
(c) Homer. Iliad. 1. (d) ibid. (e) ibid.

eliderc conſueverant, cum alias diverſae dictionis praecederent, quod cum litterarum naturae, latinoque carmini multum officiat, Graecorum imitatione defendi ſolummodo poteſt, Graecorum, inquam, qui haud perperam hoc faciunt, ut Homerus

(a) Ἄξω ἑλών· ὁ δέ κεν κεχολώσεται ὅν κεν ἵκωμαι.

Auferam. Ille autem indignabitur, ad quem venero.

.... οὐδ' ἀπίθησε
Μύθῳ Ἀθηναίης.

(b) Neque inobediens fuit dicto Minervae,

& Theocritus (c)

Ὁ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει ἄλλακα δ' ὕει.

Et Jupiter quidem nunc ſerenus eſt, nunc pluit.

Interdum etiam a Latinis monoſyllaba brevia producebantur, quod Graecorum proprium eſt, penes quos monoſyllaba brevia hoc ipſo, quod monoſyllaba ſunt, producuntur. Ita Homerus (d)

Τεύχεα μὲν οἱ κεῖται ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ

Arma jacent illi in terra, quae multos paſcit.

(e) Ὧδε δέ τις εἴπεσκεν Ἀχαιῶν τε Τρώων τε.

Sic dicebat aliquis ex Graecis, & Trojanis. Haud

(a) ibid. (b) ibid. (c) Theoc. Idyll. 4.
(d) Homer. Iliad, 3. (e) ibid.

Haud aliter ſe gerebant in ſyllaba brevi poſt quatuor primos pedes relicta; idque licet excuſare velit Emmanuel, aliique caeſura, ſeu ſyllaba communi, verius tamen eſt Helleniſmum eſſe, ut ait Gretſerus (a). Graeci enim hoc habent frequenter, ut colligi poteſt ex ſequentibus Homeri verſibus.

Poſt primum pedem.

(b) Οἱ δὲ μέγα ἰάχοντες ἐπέδραμον υἷες ἀχαιῶν.
Illi valde clamantes accurrerunt viri Graecorum.

(c) Α'ρνύμενος ἥν τε ψυχὴν καὶ νόστον ἑταίρων
Magna cura ſervans animam, & reditum amicorum.

Poſt ſecundum pedem:

(d) Ο'υ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα
Non oportet tota nocte dormire virum conſiliarium.

(e) Στεῦται γάρ τι ἔπος ἐρέειν κορυθαίολος Ἕκτωρ
Promittit aliquod verbum dicturus, galeam movens Hector.

Poſt tertium pedem.

(f) Αἰεί τοι κραδίη πέλεκυς ὥς ἐστιν ἀτειρής.
Semper tibi cor eſt durum inſtar ſecuris.

(g) Αλλότε δὴ ἄρ ἔμελλε πάλιν οἰκόνδε νέεσθαι.
Sed quando jam rurſus domum itura erat.

 Poſt

(a) Gretſer. Inſtitut. ling. Graec. (b) Iliad. 14. (c) Odyſs. 1. (d) Iliad. 2. (e) Iliad. 3. (f) ibid. (g) Odyſs. 6.

Poſt quartum pedem.

(a) Τόξ' ὤμοισιν ἔχων ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην.

Arcum geſtans humeris, & pharetram circumtectam.

(b) Ἔχων δ' αὖτ' Ὀδυσῆα Διὶ μῆτιν ἀτάλαντον

Sextum autem rurſus Ulyſſem Jovi conſilio ſimilem.

Elidebant tandem vetuſtiores Poëtae Latini litteram *S*, ſequente conſonante, quod ſi concurrerent vocales, prior a poſteriore excipiebatur per ſynaloephen, & hoc quoque imitabantur Graecos, qui, nulla poſitione facta, elidunt Σ, ut apparet ex illo Arati.

Ὤρῃ ἑσπερίῃ κρώζει πολύφωνος κορώνη.

Hora veſpertina crocitat clamoſa cornix.

Quibus exemplis ſcatent Poëtae, ac utuntur Grammatici. Quamplures aliae ſupereſſent hujuſmodi latinae linguae cum graeca ſimilitudines declarandae; verùm cum Poëtarum antiquiſſimi mirum in modum his affluant, relinquuntur idcirco Auctores illos perlegentibus. Hoc tantùm non tacebo, quod vocibus quibuſdam ex earum numero, quas ſermo latinus e graeco mutuatus eſt, peculiare eſſe obſervavi, nimirum eas non ex communi Grae-

(a) Iliad. 1. (b) Iliad. 2.

graecae linguae uſu , ſed ex aliqua dialecto ſumptas eſſe , qualia vocabula ipſi Graeci γλωσσηματικά nominant. Poſſunt igitur haec duo nomina διφάσιοι & τριφάσιοι (unde Latini ſumſere BIFARIUS , & TRIFARIUS) primum horum vocabulorum exemplum eſſe . Neque enim dubito, quin Jonica ſint. Equidem praeterquamquod in Jonicarum vocum collectione quadam ab Henrico Stephano ſubjuncta libello Galeni, qui inſcribitur τῶν Ἱπποκράτους γλωσσῶν ἐξήγησις, inter illas recenſetur τριφάσιοι , Herodotum quoque aliquot locis utrunque conſtat uſurpaſſe. Praeſertim verò e Dorica Dialecto multa vocabula in ſuum ſermonem Latini tranſtulerunt, veluti quum FAGUS dixerunt, η , quae eſt in φηγὸς mutantes in α. Hujuſmodi ſunt GARRIO , FAMA , GANEUM , TU , BOS , PLAGA, MACHINA , MALUM, MATER , & aliae quamplures , quibus non a communi Παῖς, ſed ab Aeoliea Ποῖρ ſumtus PUER addi poteſt. Quam ſe libenter addixerint graecae linguae Latini, ex hoc etiam facilè colligitur, quod ſaepe graecis declinationibus delectati ſint , ut cum dixit Virgilius ORPHEI pro Orpheo graecè declinando : (a)

 OR-

(a) Virgil. Eclog. 4.

ORPHEI Calliopea, Lino formoſus
Apollo.

Et DIOMEDE pro DIOMEDEM: (a)

Vidimus, o Cives, DIOMEDE, Argivaque caſtra.

Talium enim nominum accuſativus graecus in *E* deſinit. Graeco accuſativo in *A* frequenter etiam idem Auctor uſus eſt, ut ex ſequentibus exemplis clarè patet: (b)

Ad ſoceros, & Avo puerum ASTYANACTA trahebat.

(c) Armatumque auro circumſpicit ORIONA.

(d) Ingemuit Glaucumque, MEDONTAQUE, Therſilochumque.

(e) Flectere ſi nequeo ſuperos, ACHERONTA movebo

(f) Sed fortuna valens audacem fecerat ORPHEA.

Horatius quoque Graecos ſequutus, habet: (g)

Gentis non Pylium NESTORA reſpicis.

(h) Quorſum pertinuit ſtipare PLATONA Menandro

(i) Quo teneam vultus mutantem PROTEA nodo. Te-

(a) Idem Aeneid. lib. 11. (b) Aeneid. lib. 2.
(c) Aeneid. lib.3. (d) Aeneid.lib.6. (e) Aeneid. lib.7. (f) Culex. (g) Horat. Carm. lib.1.
(h) Serm.lib.2. ſat. 3. (i) Epiſt.. lib. 1. ad Mecoen.

Terentius verò, praeter alios caſus Graecorum, & genitivum uſurpavit, ut videre licet prope finem tituli Eunuchi, ubi ait: GRAECA MENANDRU: ut omittam plures alios graecè declinandi modos, qui penes latinos uſuvenere. Interea greſſum facio ad quaſdam loquendi formulas, quas etſi Latinis familiares eſſe videmus, latinae tamen habendae non ſunt; nec quemquam nunc illorum, qui eiſdem uſi ſunt, recenſebo; alibi enim in medium illos protraham. Quis igitur non videt, latinos fines excedere illa: DESINE MOLLIUM QUERELARUM: LASSUS MARIS, ET VIARUM: PATIENS PULVERIS, ATQUE SOLIS: INTEGER VITAE, SCELERISQUE PURUS: ac ſexcenta alia hujuſmodi? Attamen cum auctoritate Graecorum nitantur, latinè etiam defenduntur. Ita enim Graeci loquuntur: παύειν & παύσασθαι κακῶν, τῆς ὀργῆς, τοῦ δρόμου: QUIESCERE CALAMITATUM, IRAE, CURSUS. Sic Ariſtophanes: (a) Παύσασθαι μάχης· καὶ λοιδορίας: *Ceſsare pugnae, & maledicentiae*. Idem (b): Παῦε, παῦε τοῦ λόγου: *Deſine, deſine ſermonis*. Aliae etiam locutiones

(a) Ariſtoph. νεφ.
(b) Idem in Ranis.

tiones ſe nobis offerunt, quae cum graecam potiùs quàm latinam phraſim ſapiant, proprio nomine GRAECISMI appellantur. Hujuſmodi ſunt ſequentes. Solent Graeci e. g. cum antecedenti caſu, quicumque ille ſit, relativum jungere, ut περὶ λόγων ὧν ἔλεξα: DE VERBIS, QUIBUS DIXI, pro QUAE: χρῶμαι οἷς ἔχω βιβλίοις: UTOR QUIBUS HABEO LIBRIS, pro QUOS. Sic Demoſthenes, quem citat Budaeus (a): ἐκ τῶν ἐπιστολῶν τῶν ἐκείνου μαθήσεσθε ὧν εἰς Πελοπόννησον ἔπεμψε: *Ex epiſtolis illius cognoſcetis quibus in Peloponneſum miſit*, pro *quas*. Theophraſtus (b): Τὸ δ' εὐώνυμον προσαγορευόμενον δένδρον φύεται μὲν ἄλλοθί τε καὶ τῆς Λέσβου ἐν τῷ ὄρει τῷ Ὀρκυνίῳ, Ὀρδύνῳ καλουμένῳ. ἔστι δὲ ἡλίκον ῥόα: h. e. *Arbor, Evonymus dicta, naſcitur quidem alibi, & in Lesbo inſula in monte Orcynio, cui nomen Ordyno; eſt autem ejuſdem ferè magnitudinis ac malus punica*: ubi animadvertendum occurrit, τὸ ἡλίκον non cum ſequenti ῥόα, ut par eſſet, ſed cum antecedenti δένδρον conjungi. Ariſtoteles quoque (c): τῶν δὲ μεγάλων καὶ τὰ ἔμβρυα μεγάλα κατὰ λόγον ἐστί. διὸ καὶ τὸ τῶν ἐλεφάντων ἔμβρυον ἡλίκον μόσχος ἐστί. *Magnorum autem* (animalium ſcilicet) *& magni ſunt*

em-

(a) Budaeus Comm. ling. graec. (b) Theophraſt. lib. 3. c. 18. (c) Ariſtotel. in 4. de Generat. animal.

embryones, quantum aequum eſt; propterea & elephantum embryo ejuſdem molis eſt ac vitulus. Idem auctor (a) de eodem elephante loquens: Τὸ δὲ ἔμβρυον γίνεται ὅσον μόσχος δίμηνος ἢ τρίμηνος: *Hic autem embryo fit, quantus eſt vitulus bimeſtris, aut trimeſtris*: ad quae exempla eadem ratio refertur. Actibus etiam Apoſtolorum (b): οὐδὲν ἐκτὸς λέγων ὧν τε οἱ προφῆται ἐλάλησαν μελλόντων γίνεσθαι, καὶ Μωσῆς: *Nihil extra dicens quam ea, quae Prophetae loquuti ſunt futura eſſe, & Moyſ s*: Et Aelianus (c): ὑπὲρ ἐκείνων ἃν ἔλεγε: *ſuper illis, quibus dixit*, pro *quae*. Haud ſecus Latini, quamvis Grammaticorum regulis opponatur hujuſmodi elocutio, hac uſi ſunt dicentes, ut in adducto exemplo: UTOR QUIBUS HABEO LIBRIS: pro QUOS HABEO. Nec cum antecedenti ſolùm, ſed cum ſubſequenti caſu relativum jungere conſueverunt Latini exemplo Graecorum, quibus hoc familiare eſt. Plato enim habet (d): λόγοι μέν εἰσιν ἐν ἑκάστοις ἡμῶν, ἃς ἐλπίδας ὀνομάζομεν: *Verba quidem ſunt in ſingulis noſtrum, quas ſpes appellamus*, pro *quae*: & Theophraſtus (e): Ἕτερον δέ τι γένος ἐν Κύπρῳ ὃ καὶ τὸ φύλλον πλατύτερον ἔχει, καὶ τὸν καρπὸν μείζω. μεγέθει μὲν ἡλίκος ῥόα, τῷ σχήματι δὲ προμήκης:

Ge-

(a) Idem in 5. (b) Act. Apoſt. c. 26. n. 22.
(c) Aelian. Var. Hiſt. (d) Plato in Philebo.
(e) Theophraſt. lib. 2. c. 8.

Genus aliud eſt in Cypro, quod & folium habet latius, & fructum majorem: magnitudine quidem quanta malus punica: figura autem oblonga; ubi τὸ ἡλίκος non trahitur ab antecedenti ἕτερον γένος, ſed a ſubſequenti verbo ῥόα. Idem Auctor (a) Σπείρουσι δὲ καὶ τὸ καλούμενον ὄρυζον. Τοῦτο δὲ ὅμοιον τῇ ζειᾷ, καὶ περιπτισθὲν οἷος χόνδρος: *Seminant autem, & quam dicunt oryzam: Haec autem ſimilis ſpeltae, & piſta qualis grumus concretus*: quibus alia ſubjicere poſſem exempla, niſi ſatis clara, & evidentia ea, quae attuli, viderentur. Multum verò auſos eſſe Latinos in imitatione Graecorum crediderim, qvum neutrum jungere cum maſculino non dubitaverint. Hoc a Graecis ſumtum exemplis comprobat Budaeus (b) quorum unum tantum afferre liceat. Dinarchus (c): Ἐκεῖνοι ἦσαν ἐκεῖνοι, ὦ Ἀθηναῖοι, ἄξιοι σύμβουλοι καὶ ἡγεμόνες ὑμῶν καὶ τοῦ δήμου· μὰ Δί' οὐ τὰ τοιαῦτα κινάδη οἱ πεποιήκασι μὲν οὐδὲν οὐδὲ πράξουσιν ἀγαθὸν ὑπὲρ τῆς πόλεως: *Illi erant illi, o Athenienſes, digni conſiliarii & duces veſtrum, & populi; per Jovem non ſunt iſti vulpes, qui nihil fecerunt, nec faciunt boni propter civitatem*; in quo ſchemate jungendi ſcilicet neutrum cum maſculino, ad ſenſum, ut ibi notat Budaeus, non ad vocem

(a) Idem in 4. (b) Bud. comm. ling. graec.
(c) Dinarch. in Demoſth.

cem reſpexere. Obſervatione quoque dignum eſt, ut Latini praepoſitionem *ex* cum genitivo jungant, imitati Graecos, qui cum ſextum caſum non habeant, eorum praepoſitioni ἐξ h. e. *ex*, ſecundum caſum tribuunt. Graeciſſaverunt quandoque etiam Latini in quinto caſu loquuti non per vocativum tantùm, ſed per vocativum, & rectum. Dicebant enim non ſolum: *Defende me, Amice mi*, ſed *Defende me, Amicus meus*; verùm diverſo ſenſu, & ſyntaxi. In hoc enim poſteriori ſunt veluti duae orationes, quippe deeſt *ens*, vel *qui es* facta ellipſi, ut mos eſt Graecorum, inter quos Sineſius (a) hoc nobis oſtendit, ὦ μεγαλοπρεπέστατε μόνος ἢ μετὰ ολίγων σὺ μόνος δίκαιος καλούμενε: h. e. *O eximie ſolus inter paucos, tu ſolus juſtus vocande*. Aliud ſchema hujuſmodi eſt, quo trahebant caſum inter duo verba a non ſuo verbo, ut, *Hoc me ut faciam vis?* quod acceptum a Graecis. Actibus Apoſtolorum (b): ἤδεισαν γαρ̀ ἅπαντες τὸν Πατέρα αὐτοῦ ὅτι Ἕλλην ὑπῆρχεν: h. e. *Sciebant enim omnes patrem ejus, quoniam Graecus erat*, & Aelianus (c): λέγουσιν Ηράκλειτον ὅτι πάντα ἔκλαεν: *Dicunt Heraclitum, quod omnia fregit*. Huc tandem pertinent tamquam a Graecis petita

(a) Sineſius ad Aurel. (b) Act. Apoſt. XVI. 3.
(c) Aelian. var. Hiſt. 18. 13.

tita illa : *Pergo ire* : *Abeſse bidui* : *Per Petri hoc facere* : *Ad Junonis venire* : *Ante Jovis ſtatuam ponere* , *hiſque ſimilia* . Xenoph. εἰς οὐδενὸς διδασκάλου πώποτε φοιτήσαντα : *ad nullum unquam magiſtrum ventitantem*. Ariſtoteles περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων ideſt de admirabilibus auditionibus: Ἐν τῇ θαλάσσῃ τῇ ἔξω Ἡρακλείων στηλῶν φασὶν ὑπὸ Καρχηδονίων νῆσον ἀνευρεθῆναι ἐρήμην ἔχουσαν ὕλην τε παντοδαπὴν καὶ ποταμοὺς πλωτοὺς , ἀπέχουσαν δὲ πλειόνων ἡμερῶν : *In mari citra Herculis columnas ferunt a Carthaginienſibus inventam fuiſse inſulam deſertam habentem ſylvas omnis generis* , *&* *fluvios navigabiles* , *diſtantem autem pluribus diebus* .

VIII. Per Atticiſmos.

VIII. Verùm ne diutius in hiſce linguae primordiis immorer, reliqua omnia, quae de latinarum elocutionum cum Graecis communione dicenda eſſent , in unum colligens, dicam cum acutiſſimo Franciſco Sanctio (a), nihil avidius arripuiſſe a Graecis Latinos, quàm Atticiſmum ; uſque adeo (niſi forte in re tam gravi ludere eſt nefas) Romanos Terentiano Pamphilo ſimiles dixeris ; is enim maximo ſe perfuſum gaudio ait , cum agnovit Virginem Glycerium ſuam civem eſſe Atticam (b) . Fuere enim formulae locutionum

---

(a) Minerv. Sanct.
(b) Terent. Andr. Act. 5. Scen. 2.

Digitized by Google

num Atticarum eorum deliciae, atque amores. Inter alios libenter uſurpavere Atticiſmum illum, quo κατὰ, h. e. *Juxta*, aut *Per*, aut *De* ſubauditur, ut *Fractus membra*; *Caetera Grajus*; *Albus dentes*; *Latus ulnas duas*; & alia hujuſmodi. Plura hujus Atticiſmi teſtimonia habes apud Graecos Scriptores. Theocritus ſaepiſſimè: ἀλγῶ τὴν κεφάλαν, *Doleo caput*. Plato etiam frequentiſſimè: τὸ ἐμὸν & τὸ ἐμὸν πρᾶγμα *Quod meum opus* pro τὸ κατὰ ἐμὲ, ſcilicet pro *eo, quod ad me attinet*. Idem Auctor ait (a) ταῦτα δὲ καὶ ταῦτα εγκωμιάζουσι δικαιοσύνην: h. e. *Haec & ſimilia ipſi laudant juſtitiam*: ubi ſuppleri debet κατὰ, ſcilicet: *ſecundum haec, & ſimilia ipſi laudant juſtitiam*. Apertiùs etiam Theognis:

Αἰσχρὰ δὲ μ' οὐκ ἐθέλοντα βίῃ κ' πολλὰ διδάσκεις

Turpia autem me nolentem, & invitum multa erudis:

& hìc quoque ſenſus poſtulat κατὰ, ideſt: *de multis me erudis*: & Sineſius (b): ταῦτα θεὸν ταῦτα ἀνθρώπους μαρτύρομαι: *Haec Deum, haec homines teſtor*: ubi bis deſideratur κατὰ, ideſt *per Deum, per homines teſtor*. Verùm enim verò cum hujuſmodi communio, & ſimilitudo linguarum non a ſola origine Latinae, non a ſola vicinia populorum, ſed

(a) Plato 2. de Republ.
(b) Sineſius ad Aurel.

a Romanorum Graecam linguam addiſcentium ſtudio profecta, & traducta ſit, de poſtremo hoc nonnulla dicere ſupereſt.

IX. A quibus, & quo tempore lingua Graeca Romae doceri coepta initio ſcilicet ſaeculi ab U. C. VI.

IX. Quos primùm igitur Romae Graecam linguam docuiſſe conſtat, fuere Livius Andronicus, atque Ennius Poëtae, & Oratores ſemigraeci, ut eos appellat Svetonius (a), ſexto ſcilicet ſaeculo ab U.C., quorum poſtremus Sardiniam incolens hac lingua erudivit Cenſorium Catonem, qui jam in ſenectam declinabat, ut teſtatur Quintilianus (b): *Marcus Cenſorius Cato, idem Orator, idem Hiſtoriae conditor, idem juris, idem rerum ruſticarum peritiſſimus, inter tot operas militiae, tantas domi contentiones, rudi ſaeculo litteras Graecas aetate jam declinata didicit*: de quo ideo magis mireris, quod antea increbeſcentium Graecarum litterarum ſtudio quam vehementiſſimè obſtiterat. Quum enim Carneade Romae Graecè perorante, Romani juvenes ad eas, quaſi fanatici ad ἐνθουσιὰς περὶ φιλοσοφίαν, ut ait Plutarcus (c) raperentur, ipſe coram Senatu verba fecit contra ejuſmodi Reipublicae, & juventutis Romanae perturbationem, corruptelamque; Carneadeſque cum aliis duobus Athenienſibus proceribus, qui Legatorum ad

(a) Sveton. p. de illuſtr.gram. (b) Quint. lib.12.c.11.
(c) Plut. in Catone Majore pag. 549.

Digitized by Google

ad Romanos munere tunc fungebantur , ut , ſenatu , veniaque abeundi datis , quam citiſſimè dimitterentur , auctor , ſuaſorque fuit . Cum vero Ennius a Catone Romam adductus fuiſſet , ut habemus a Sexto Aurelio Victore , Graecae Linguae ſcholam aperuit , & duodeviginti ſecundum nonnullos , ac ſecundum alios duodecim libros Annalium heroico carmine conſcripſit ; hinc Cicero hos verſus ejus tumulo inſcriptos refert (a) :

Accipite , o Cives , ſenis Ennj imagini' formam ,
Hic veſtrum panxit maxima facta Patrum.
Nemo me lacrymis decoret , neque funera fletu
Faxit . Cur ? volito vivu' per ora virûm .

Scimus Scipionem Africanum Majorem , teſte Livio (b) , cum eſſet Proconſul Siciliae tanto in litteras Graecas ob earum venuſtatem amore flagraſſe , ut depoſito cultu Romano litteris Graecis operam navaverit cum pallio , crepidiſque , ut Graeci conſueverant , in gymnaſio inambulans ; & Cicero in Bruto docet P. Cornelium ejus filium hac quoque lingua praeditum fuiſſe ; ait enim: *Indicant cum oratiunculae , tum hiſtoria quaedam Graeca ſcripta* dul-

(a) Cicero Tuſcul. quaeſt. lib. 1.
(b) Livius lib. 29. c. 19.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

dulciſſimè. Aetate autem Ennii, ac Livii Andronici & Q. Fabius, & L. Cincius Hiſtoricorum antiquiſſimi vigebant, qui veterum Romanorum res geſtas Graeco ſermone ſcripſerunt, auctore Dionyſio Halicarnaſſeo (a); ac Voſſius ubi de Hiſtoricis Graecis ingentem affert numerum Romanorum, qui res ſuas geſtas Graecis litteris conſignarunt.

X. De illius incremento Romae tempore Syllae.

X. Poſtquam autem Sylla Athenas expugnavit, diripuitque, ac Mummius Achajam debellavit, evertitque Corinthum, ſeptimo ideſt ſaeculo ab U.C., ut refert Pauſania (b), mirum adeo in modum hujus invaluit ſermonis uſus, ut non pauca, teſte Livio (c), tunc Romae extiterint gymnaſia, ad quae frequens Romana convolabat juventus, ut Graecis litteris imbueretur. Teſtatur hoc idem Cicero (d), ubi de inventione, nam ſuum Craſſum inducit dicentem, quod cum eſſet ipſe Cenſor, quoſdam juſſerat ab Urbe diſcedere Latinos, auſos Rhetorices palam ſe facere magiſtros, ut mos erat Graecorum, ac praeſertim quia loquaces potius, quàm diſertos homines reddebant; perferens tamen Graecos, quicumque aderant ob eorum linguam, quamvis nec ipſi eximiá excellerent doctrinâ:

(a) Dionyſ. Halic. lib. 1. c. 6. (b) Pauſan. in Achaic.
(c) Livius lib. 9. c. 36. (d) Lib. 3. de Orat.

nâ: en ejus verba. *Rerum eſt ſilva magna, quam cum Graeci jam non tenerent, ob eamque cauſam juventus noſtra dediſceret penè diſcendo, etiam Latini, ſi Diis placet, hoc biennio Magiſtri dicendi extiterunt, quos ego Cenſor edicto meo ſuſtuleram.................. nam apud Graecos, qui cujuſmodi eſsent, videbam tamen eſse praeter hanc exercitationem linguæ doctrinam aliquam, & humanitate dignam ſcientiam*: quae conſuetudo ex iis etiam, quae Romani a Graecis in diem vertebant, ut videre erit, maximè comprobatur.

XI. Sub Imperatoribus magis floruit, illorumq;, qui eam excoluere, Caeſarum fit enumeratio.

XI. Qvum autem Romana Reſpublica ſub unius Imperio fuit, octavo nempe ipſius ſaeculo, ac primo naſcentis Chriſti, tantum abfuit, ut quidquam prioris exiſtimationis huic linguæ detractum fuerit, ut potius Imperatoria auctoritate multum aucta ſit. De hoc a Tranquillo Svetonio (a) ſumes teſtimonia. Ita enim ipſe de Octavio Caeſare Auguſto ſcriptum reliquit: *Ne Graecarum quidem diſciplinarum leviore ſtudio tenebatur: in quibus & ipſis praeſtabat largiter, Magiſtro dicendi uſus Apollodoro Pergameno, quem jam grandem natu, Apolloniam quoque ſecum ab Urbe juvenis adhuc duxerat*. Et paulo infra addit, lata lege mandaviſſe, ut Romani Grae-

(a) Sveton. de 12. Caeſar.

Graeco, Graeci Romano habitu, & ſermone uterentur. De Tiberio Nerone verò ſic: *Fecit & Graeca poemata imitatus Euphorionem, & Rhianum, & Parthenium, quibus poetis admodum delectatus, ſcripta eorum, & imagines publicis bibliothecis inter veteres, & praecipuos auctores dedicavit, & ob hoc plerique eruditorum certatim ad eum multa de his ediderunt*. Ac de Caeſare Caligula teſtatur edidiſſe certamen Graecae, Latinaeque facundiae. In vita autem Tiberii Claudii Caeſaris ſcribit: *Nec minore cura Graeca ſtudia ſequutus eſt, amorem, praeſtantiamque linguae occaſione omni profeſsus. Cuidam Barbaro Graecè, & Latinè diſserenti*: cum utroque, *inquit*, ſermone noſtro ſis peritus: *& in commendanda Patribus Conſcriptis Achaja*, gratam ſibi provinciam, *ait*, communium ſtudiorum commercio. *Ac ſaepe in Senatu perpetua oratione* (graeca ſcilicet) *reſpondit. Multum verò pro Tribunali Homericis loquutus eſt verſibus. Quoties quidem hoſtem, vel inſidiatorem ultus eſset, excubitori Tribuno ſignum de more poſcenti, non temerè aliud dedit, quàm* (a) Ἄνδρ᾽ ἐπαμύνασθαι, ὅτε τίς πρότερος χαλεπαίνῃ: h. e. *Virum expellere quando prior ſaevit; denique & graecas ſcripſit hiſtorias* Τυῤῥηνικῶν XX. Καρχηδονιακῶν *VIII.*. Geſta verò Neronis

(a) Homerus Odiſs. 16.

ronis Claudii Caeſaris deſcribens, tradit ipſum pro Rhodiis, atque Ilienſibus graecè verba feciſſe, atque etiam in articulo vitae graecè loquutum eſſe: *Jamque equites appropinquabant, quibus praeceptum erat, ut vivum eum attraherent; quod ut ſenſit, trepidanter effatus,*

(a) Ἵππων μ' ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει,
h. e. Equorum mihi velocius ſonitus circum aures ferit,

ferrum jugulo adegit: dignus quidem laude ob ſolertiam in excolenda Graeca lingua; ſtultitiae verò nomine arguendus ob odium in ſe ipſum. Quid autem de T. Flavio Veſpaſiano memoriae prodiderit, audiamus: *Ingenia, & artes maximè fovit, primus e Fiſco Latinis, Graeciſque Rhetoribus annua centena conſtituit*: ſive, quòd idem eſt, aureos millenos; noſtrae verò pecuniae aureos biſmillenos, & quingenos: ampliſſimum ſanè, ut nunc vivitur, honorarium. Et ad calcem hujus vitae, addit: *Utebatur & verſibus Graecis tempeſtivè ſatis, ut de quodam procerae ſtaturae, improbiuſque nato*

(b) Ἤϊε μακρὰ βιβὰς, κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος.
h. e. Ibat longè gradiens, quatiens longam haſtam,

& maximè de Cerylo Liberto, qui dives admodum ob ſubterfugiendum quandoque jus Fiſci, ingenuum ſe, & Lachetem, mutato nomine coeperat ferre. D ὦ

(a) Homer. Iliad. 10.
(b) Homer. Iliad. 7.

Ὦ Λάχης Λάχης, ἐπὰν ἀποθάνῃς
Αὖθις ἐξ ὑπαρχῆς εἰρήσῃ Κήρυλος

O Laches Laches cum mortuus fueris
Rurſum ex integro diceris Cerylus;

Hoc eſt, ut obſervat Caſaubonus (a): *Jura, quae Fiſcus habet in bona Libertorum poſt eorum obitum*, *non ſubterfugies*; additque prima verba ὦ Λάχης Λάχης, & poſtremum Κήρυλος eſſe Veſpaſiani; & medium verſum, qui interjicitur, Menandri. Colligitur tandem manifeſtò ex eodem Auctore, poſtremum etiam e Caeſaribus Titum Flavium Domitianum Graecis litteris vacaſſe, nam, ut ipſe refert in ejus vita, cuidam libello, quem de cura capillorum ad amicum edidit, hunc Homeri verſum illum ſimul, ſeque conſolans inſeruit:

(b) Οὐχ ὁράας οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας τε
Nonne vides qualis & ego pulcherque, magnuſque.

Non minus hujus linguae fautores ſeſe oſtendere gloriati ſunt alii quoque Imperatores, quos inter cenſendus Hadrianus, a quo ſentit Sirmondus juſſum fuiſſe publicum in urbe conſtrui gymnaſium ad hanc linguam perdocendam eo in loco, qui nunc dicitur: *Sanctae Mariae in Coſmedin*. Verùm quid ultra? familiaris adeo, Trajano, Hadriano-
que

(a) Caſaub. in Sveton. in Vit. T. Flav. Veſpaſ.
(b) Idem Iliad. 21.

que imperantibus, erat hujus linguae uſus, ut & mulieres graecè loquerentur, quod facilè ex ſequentibus Juvenalis, qui tunc floruit, verſibus colligitur (a):

Nam quid rancidius, quam quod ſe non putat ulla
Formoſam, niſi quae de Thuſca Graecula facta eſt?
De Sulmonenſi, mera Cecropis? Omnia graecè:
Cum ſit turpe magis noſtris neſcire latinè.

XII. In primis verò Marci Antonini Philoſophi exemplo, & aetate floruere Graecae litterae Romae.

XII. Sed cunctis Caeſaribus hac in re potior habendus Marcus Antoninus Philoſophus, qui eximia, poſteritatique adhuc admiranda, imitandaque reliquit Graeca ſcripta, iſque eſt, qui Scriptorum, quos CLASSICORUM nomine docti inſigniunt, agmen claudit. Ejus aetate eximiè exculta fuit Graeca lingua Romae, praeque ipſa Latina viguit, ſummique viri floruere, quod aptè deſcribit Gaſpar Laurentius Hermogenis interpres in nuncupatoria ſua artis oratoriae Hermogenianae (b): *Saeculam illud viros habuit excellentes Juſtinum Martyrem, Tertullianum, Athenagoram, Irenaeum; item Galenum, Aulum Gellium, Athenaeum, Pauſaniam, Maximum Tyrium, Oppianicum, Phrynicum, Herodianum. Hermogenes autem Rhetor XYSTER, quaſi ſcalptor appellatus,* D 2 *pu-*

(a) Juvenal. Sat. *6.*
(b) Gaſpar Laurentius p. 4. & 5.

publicè Rhetoricam docuit annos natus quindecim, ut refert Suidas ex Philoſtrato .... ad eum audiendum excitatus fuit ipſe M. Antoninus Princeps doctus, & in doctos liberalis. Conſtat eum linguae Latinae uſum non habuiſſe; illis enim temporibus florebant maximè Graeca ſtudia.

XIII. Non pro imperii tamen, ſed eruditionis tantum, & diſciplinarum inſtrumento graecam linguam Romani habuere.

XIII. Quae tamen diximus de Imperatoribus, ita intelligenda ſunt, quod Graeca lingua fuerit familiaris, cultioriſque conſuetudinis, commercii, atque eruditionis, Latina autem conſtanter Imperii inſtrumentum. Severè enim uſum Latinae in iis, quae ad Imperium ſpectare videbantur, retinebant. Hinc Claudius (a): *Splendidum virum, Graeciaeque Provinciae Principem, verùm Latini ſermonis ignarum non modo Albo Judicum eraſit, ſed etiam in peregrinitatem redegit*. Oratorem quoque Lyciorum, civitate Romana ante donatum, ea privavit, quòd ipſi latinè reſpondere neſciret (b): Εἰπὼν μὴ δεῖν Ῥωμαῖον εἶναι τὸν μὴ καὶ τὴν διάλεξιν σφῶν ἐπιστάμενον: *Dicens Romanum eum eſse non debere, qui ſermonem eum neſciret*. Hìc facit etiam illud Valerii Maximi (c): *Magiſtratus verò priſci quantopere ſuam, Populiq; Romani majeſtatem retinentes ſe geſſerint, hinc cognoſci poteſt, quod inter caetera obtinendae gra-*

(b) Sveton. in Claud. c. 16. (b) Dio. l. 60. ad ann. 796.
(c) Valer. Maxim. l. 2. c. 2. n. 2.

gravitatis inditia, illud quoque magna cum perſeverantia cuſtodiebant, nec Graecis unquam, niſi latinè reſponſa dabant. Quin etiam ipſa linguae volubilitate, qua plurimum valent, excuſſa, per interpretem loqui cogebant; non in urbe tantùm noſtra, ſed etiam in Graecia, & Aſia: quo ſcilicet Latinae vocis bonos per omnes Gentes venerabilior diffunderetur. Nec illis deerant ſtudia doctrinae, ſed nulla in re pallium togae ſubjici debere arbitrabantur; indignum eſse exiſtimantes illecebris, & ſuavitate litterarum Imperii pondus, & auctoritatem domari. Aliorum exemplis, & auctoritate corroborari poſſet, ſi opus foret, linguam Graecam Romanis fuiſſe propriè ſcientiarum humanitatis, atque doctrinae clavem, interpretem, & magiſtram.

XIV. Hanc uſque igitur aetatem, hoc eſt ſub finem ſaeculi Chriſtiani tertii, certo eſt certius Romanos (quod infra quamplurimis aliis exemplis, rationibuſque adſtruendum erit) eruditionem omnino Graecorum ex fontibus hauſtam, initiiſque, &, ut e Graeco vertam, elementis penitus innixam, profeſſos fuiſſe: Latinaque melioris aetatis ſcripta iis ſeminibus, luminibuſque referta eſſe, adeo ut nemini in illius penetrales ſedes abſque ope Graecae eruditionis pervadere liceat, quod videre eſt in explanationibus eorum, qui Romanorum ſcripto-

XIV. Purior omnis Latina Eruditio Graecis ex elementis hauſta, & compoſita.

rum

rum libros commentati ſunt.

XV. Poſt Marci Ant. Pii tempora utraque lingua viciſſitudines paſſa, appropinquante ſcilicet ſaeculo IV.

XV. Paucis poſt annis alia paululum fuit Latinae, ac Graecae inter Romanos eloquentiae ratio, ſenſimque utraque viciſſitudines quaſdam paſſa eſt, nitoremque perdidit. Cujus quidem rei cauſas indagare quamquam non foret omnino alienum ab inſtituto, abhorret tamen a brevitate, quam nobis praefiximus, ideoque in opportunius tempus reſervare expedit. Res eſt mira ſanè, & quae utriuſque linguae conjunctionem manifeſtiſſimè arguit. Eloquentia Latina ipſa, quae tam mirum in modum creverat per acceſſionem, vel alluvionem, ut ita dicam, Graecarum litterarum, cum harum corruptela, & occaſu, tanquam ſimilitudine quadam fati, tantaque deſtituta nutrice, & comite, ipſa etiam in deformitatem, ſqualoremque abiit.

XVI. Ineunte ſaeculo IV., Conſtantinoque Magno Roma abeunte Byzantium, manifeſtior evenit mutatio.

XVI. Accidit autem apertior illa mutatio, ac ferè dixerim depravatio in Lingua Graeca, ineunte ſaeculo IV., eo nimirum tempore, quo Conſtantinus Magnus ſedem Imperii in Thraciam tranſtulit, quem pleriquè Senatorii Ordinis viri, optimateſque Romani ſequuti ſunt, ut Provinciis regundis Graeciae praeeſſent. Tunc enim, ut ait Cangius (a): *Cum in Principum palatiis Ro-*

(a) Cangius in Praef. ad Gloſsar. med. & infim. graecit. §. V. f. V.

Romanus, apud populares verò Graecus ſemper vigeret ſermo, neceſse fuit, ut Romani Graecum, ita Graeci Romanum utcumque addiſcerent, quò in commerciis, & familiaribus converſationibus ſeſe invicem intelligerent. Sed dum Romani Graecae, & Graeci Romanae linguae cognitionem inchoatè duntaxat, nec planè conſequuntur, ſuam dedidicere Romani linguam, ut ſuam pariter Graeci corrupere, vocibus perperam a Latinis, quibuſcum quotidie communicabant, petitis, malèque confictis. Sicque Romani dum linguam Latinam per totius Occidentis Provincias ſibi ſubditas propagare, abolitis nativis, contendunt, Graecam in Oriente perdere cum nollent, nec poſsent, corruperunt, adeo ut verè Seneca dixerit: vix inveniri ullam Terram, quam indigenae colant, permixta omnia, & inſititia eſse, exterorumque converſatione ſermonem a patrio deſciviſse.

XVII. Magis infelix impendit fatum Graecae puritati poſt Imperatoris Juſtiniani aetatem ſaeculo ſcil. VI. dum jam Latini ſermonis decor in Roma ipſa turpiſſimè per Herulorum, Gothorum, aliorumque Populorum commercia, & imperia ferè extinctus jaceret. De quo fatur hunc in morem idem Cangius (a): *Verùm poſt Juſtiniani tempora ſenſim in deterius delapſa, nullis ferè con-*

XVII. Poſt Imp. Juſtiniani aetatem in pejus ruit.

(a) Cang. ibid. §. VII. ſ. VI.

conſtitit regulis , nec jam Grammaticae praeceptis paruit , ſed licet inter exoticos complures vocibus in ſpeciem Graecis uteretur , cum tamen inflexione faedarentur , barbara tum appellari debuit , quandoquidem longè aberat ab illa communi , quae viguit , ac in uſu fuit primis iſtis temporibus , quibus a puriori ſola ferè cedebat elocutionis elegantia .

XVIII. Corruptela linguae Graecae in ſcripta Auctorum irrepſit .

XVIII. Communis illa , ac popularis depravatio in ſcripta auctorum quoque irrepſit (a) : *Nec apud populares duntaxat , ſed & apud illos , qui paulo cultiores haberi volebant , atque adeo quidpiam mandabant litteris , iſta linguae corruptio propagata eſt : nam etſi ex iis non defuere qui ornatè , & eleganter ſuos ediderint commentarios , rem tamen non ita confecere , quin ſaepe barbaris , vel perperam confictis fabulis hos inſperſerint , a quibus interea potuiſſent abſtinere , aliis e proba Graecia depromptis , etiam a quolibet intelligendi . Ejuſmodi ſunt plerique Byzantinae Hiſtoriae ſcriptores , quorum alii cultiores . . . . Aliorum verò aliquot longè pluribus exteris ipſis , vel e vulgo mutuatis vocabulis , ſcatent , & faedantur libri . . . . poſtremis potiſſimùm ſaeculis , in quibus quicquid hactenus ſupererat Graecanicae eruditionis , evanuerat omnino .* Quo fit , ut ad hos

(a) Ibid. §. VI. ſ. V.

hos ſequiorum aetatum latices haud quaquam recurrendum ſit ſitienti caſtiſſimae illius antiquae Graecanicae puritatis nectar.

XIX. At verò ea propter ſtudioſis minime ſcriptores iſti praetereundi ſunt, aut cavendi. Quis enim adeo ſuperſtitioſè intra fines aurei, argenteique ſaeculorum coerceri ſeſe patietur, ut notitiae, vel Hiſtoriae, quae ad Imperii Romani ſeneſcentis viciſſitudines, mores, inſtituta, nec non ad Religionis, & Eccleſiae progreſſum, incrementumque ſpectant, expers eſſe velit? quum rerum earum ignoratio non poenitenda modo, ſed pudenda etiam foret homini optimarum Latinarum, Graecarumque litterarum ornatiſſimo praeſidio inſtructo. Atqui quantum ea noſſe, animoque percipere intereſt; tantum etiam refert Graecam callere linguam. Quippe ſine ea Dignitatum Palatinarum, Eccleſiaſticarum, Monaſticarumque nomina, nec non vocabula, quae ad rei judiciariae, Tabulariaeque in Baſilica ſummum Magiſterium pertinent, ut de caeteris innumeris nunc taceam, quàm aegrè quiſquam intelligeret, & quod conſequens eſt, aut nullam ſtatus Reipublicae illorum temporum, aut valde imperfectam ſpeciem, intelligentiamque haberet.

XIX. Graeci Scriptores aevi medii haud quaquam praetereundi.

E XX.

XX. Graecorum Auctorum, qui ſaeculis ſequioribus floruere, enumeratio, & quidem ſaeculo IV.

XX. Et ut verum fateamur; quemadmodum ſuperiora illa, ita & inferiora haec ſaecula ſuos inter doctiſſimos viros, litterarum Graecarum cultores tulere. Quartum quidem habuit Gennadium, Libanium, Marium, Victorinum, Nazarium Rhetores praeclariſſimos; Prohaereſium, Julianum Imperatorem, SS. Gregorium Nazianzenum, Niſſenumque, Baſilium, Hilarium, Hieronymum, Ambroſiumque Alexandrinum Oratores praeſtantiſſimos; Poëſi autem celebres Triſillium, Juvencum Presbyterum, S. Paulinum Nolanum, Sympoſium Celſum, Palladium Rutilium; nec non Philologos, atque Grammaticos Flavium Vegetium, Macrobium, Evantium, Aelium, Donatum.

XXI. Et ſaeculis V., atque VI.

XXI. Quintum verò dedit Symmachum, Auſonium Gallum, Syneſium, Claudium Marium Victorem, Sidonium Apollinarem, S. Hilarium, Prudentium, Rutilium Gallicanum, Cyrum Panoplitam, Hiparchium Alexandrinum, Serviumque Virgilii optimum maximum interpretem. Sextum autem vidit Berytenſem Academiam per Juſtinianum inſtaurari; eloquentiamque, fautore Mauritio Caeſare, refloreſcere; ſilentibus tamen Romae ſub Gothorum dominatu gymnaſiis cunctis, ita ut Pontifex Agapetus Primus ad docendas, aut addiſcendas litteras graecas, vel latinas alle-

allecturus, atque attracturus homines, ſurdis fabulam narraverit, teſte Caſſiodoro: Foris tamen florentibus Theologiae poſitivae ſcientia S. Fulgentio Ruſpenſi Epiſcopo, quem appellavere Sanctum Auguſtinum ſui ſaeculi, Andraea Caeſarienſi, Procopio Gazenſi, Anaſtaſio utroque, Patriarcha ſcilicet Antiocheno, & Monacho: Juriſque civilis prudentia celebribus Triboniano, Leontio, Phoca, Baſilide, Theophilo, Dioſcoro, Dorotheo, Iſidoro, Anatolio, qui praeter alios opem praeſtitere Triboniano juſſu Juſtiniani leges compilanti: Philoſophia vero clarentibus Boëthio, qui Ariſtotelis ſcripta Latina donavit lingua primus omnium, eaque commentatus eſt; Martiano Capella, Philoppono, Simplicio Phrygio Stagiritae ejuſdem interpretibus; Damaſcioque Stoico Platonis Commentatore: Medicinae interim lumen afferentibus Dioſcoro, Alexandroque Tralliani Filio Therapeutices ſingularum corporis partium, jubente Imperatore Juſtiniano, Scriptore; Theodoroque Mauritii Medico, qui Sancto Gregorio Magno fuit addictiſſimus. In iis autem, quae ad Matheſin pertinent, id temporis famam aſſequuti ſunt Hero Senior, & Antemius Mechanici, Dionyſius Exiguus Chronologus; S. Victor de Cyclo Paſchali, Stephanuſque

Byzantinus de urbibus, Heliodoruſque Laryſſaeus Geographi; Mauritius denique ipſe Imperator, quia de Tactica ſcripſit. Nec ſanè ſilentio praetereundi ſunt hujus aevi Hiſtorici, quò rariores, eò aeſtimabiliores Jornandes Gothus, Procopius Gazaeus, Leontius Byzantinus, Agathius, Euſtathius Presbyter, Evagrius ſcholaſticus, quibus Achillem Tatium, quamquam aetatis parum certae annumerare ſolent; quos omnes ſequuntur tandem graecae, Latinaeque Grammatices Profeſſores Orion Thebanus, Fulgentius Placiades, Suidas Monachus, Priſcianuſque.

XXII. Quare neceſſaria Graecitatis mediae, & infimae cognitio.

XXII. Temperaſſem omnino a longa hac enarratione faſtidium paritura Lectori, niſi eâ monſtrandum exiſtimaſſem, eorum, quae tum ad Rempublicam univerſam, Imperiumque ſpectant, tum quae ad rem litterariam horum temporum attinent, cognitionem ne mediocrem quidem haberi poſſe ſine linguae Graecae peritia, auxilioque; Neutiquam enim latina, nec in Eruditionis, nec in Hiſtoriae negotio vicem utriuſque agere poteſt.

XXIII. Saeculo VII., & VIII. litterarum Graecarum, Latinarumque deſpectus in Italia.

XXIII. In poſteriora tempora oculos convertere ſine animi quodam horrore vix licet; Uſque eo enim tunc una cùm Graeca omnis etiam Latina eviluit eruditio, ut ſub finem ſexti ſaeculi S. Gregorium Magnum jam

Digitized by Google

jam jam fatentem audias (a) : *Se Graecè neſcire, nec eſse Conſtantinopoli, qui Latinè reddere graeca poſset* ; tantus nimirum fuit Romae Graecarum, ſimul ac Conſtantinopoli Latinarum litterarum neglectus. Septimo autem ſaeculo coacto a P. Agathone Concilio: in ea praecipuorum Italiae virorum, ac centum & viginti Epiſcoporum frequentia, neminem unum inveniſſe vel mediocri doctrina praeditum, quem ad Conſtantinum Pagonatum legaret, ipſe litteris ſuis fatetur, doletque. Ac ut nequid calamitatis deeſſet diſciplinis, nova quaedam Haereticorum, Gnoſmachorum ſcilicet, peſtis, ficto religionis titulo, diſciplinis omnibus, atque artibus liberalibus quaſi bellum intulit, non abſque ingenti litterarum detrimento. Si itaque quidquam boni ſuperfuit inter Graecos, id in Anaſtaſio Monacho Conſtantinopolitano, Stephano Alexandrino Medico, Herone Juniore, qui Belopaeica ſcripſit, Theophilacto Simocata, Gregorio Piſide, & fortaſſis in Joanne Stobaeo quaerendum eſt ; vel etiam extra continentem, atque linguarum harum natale ſolum in Anglia, ubi Mardulphus Scotus Graecae, Latinaeque ſcholam aperuit; donec octavo ſaeculo Academia Athenis Romam traducta, Lutetiam

(a) S. Gregor. Magn. epiſt. 9. lib. 6.

tiam juſſu Caroli Magni translata eſt: florentibus interim SS. Germano Patriarcha Conſtantinopolitano, Jo. Damaſceno, qui omnium primus, fatente Bellarmino, ſyſtematica ratione Theologiam comprehendit, ediditque: Aegidio Athenienſi Medico, ac Philoſopho, Theophane Byzantino. Capronymi etiam in Monachos, quos Byzantio expulit, odium fortè opportuna Romae linguae graecae quodammodo reſtaurandae occaſio fuit; illi enim a P. Stephano III. Monaſterio recepti ſunt, cui inditum nomen GRAECAE SCHOLAE.

XXIV. Graecae eruditionis conditio, labentibus ſaeculis IX., X., & XI.

XXIV. Nono ſaeculo Barda reſtituit ſcholas Conſtantinopolitanas; Michaël Balbus autem pueros, ne ſe eruditione vincerent, litteras addiſcere prohibuit. Rari igitur hujus aevi Scriptores, & nulli, ſi excipias Michaëlem Pſellum Leonis Imperatoris Praeceptorem, Theophanem, Nicephorum Patriarchas, & Photium Philologiae callentiſſimum. Decimo ſaeculo apud Graecos praeter Leonem VI. Imperatorem cognomine Sapientem, Conſtantinumque Porphyrogenitum per paucos floruiſſe autumo. Undecimo autem Alexandrina Academia floruit, Avicennamque erudivit; Conſtantinuſque Ducas litteratos mirum in modum fovit. Theophilactus Bulgariae Archiepiſcopus Oecumenius libro-

brorum Sancti Chryſoſtomi abbreviator, Samonas Gazenſis, Michaël Pſellus, quo Praeceptore uſus eſt Michaël Duca; Georgius Cedrenus, Joannes Curopalates, Xiphilinus, Michaël Septimus muſarum ipſe pluſquam Imperatorem deceret amator, famam hi omnes doctrinae adepti ſunt. Abbas verò montis Caſſinenſis Deſiderius e Graecia optimos, prout ea ferebat aetas, artifices eo fine aſcivit, ut Italiae artes liberaliores reſtituerent, teſte Leone Oſtienſe. Omnes enim, qui litterarùm ſtudia huc reducere voluere, ad Graeca reſpicere eos oportuit.

XXV. De iis, quae ad ſaeculum XII.

XXV. Currente ſaeculo XII. Reſpublica quaedam litteraria primùm in Europa inſtituta eſt. Univerſitatibus enim Rectores, Magiſtratuſque peculiares praefecti ſunt, praecipuè, ut vulgò creditur, imperante, & curante Lothario II. Saxone. Legum tunc Romanorum cognitio tanquam ex cinere ad novam vitam excitata; At quam parum culta, elegans, ac ornata diu inceſſerit ſine Graecarum litterarum ſubſidio, & ornamento, nemo, qui illa tempora cum poſterioribus conferat, non agnoſcit. Scholaſtica itidem Theologia tunc initium habuit, quae cum Philoſophiae adminiculo egeret, Ariſtotelis interpretes adeundi fuere, neglecto tamen ipſius lin-

linguae Graecae ſtudio. Inter Arabes autem ſummopere Philoſophia de Graecia traducta exculta fuit. Graecos inter ipſos Michaël Anchialius Patriarcha Conſtantinopolitanus (anno MCLXX.) Zonaras, Anna Comnena, Guillelmus Tyrius, Euſthatius Homeri ſummus Commentator, floruere.

XXVI. De re litteraria Graeca ſaeculorum XIII., & XIV.

XXVI. Sequenti aetate Nicetas Choniates, Theodorus Metochita, Pantaleo Diaconus, Georgius Logotheta, Demetrius Pepagomenes inter doctos jure merito nomen profeſſi ſunt; dum interim noſtratium Albertus Magnus, & Sanctus Thomas in primis Ariſtotelem, quo Arabes contra Chriſtianos abutebantur, Catholicae veritati ancillari docerent. Lutetia tamen Pariſiorum ipſius Ariſtotelis nomen propter ſcripta illi falsò tributa, ideoque igni addicta, execrata eſt. Quartumdecimum ſaeculum denique auſpicatius fuit litteris, ſed nondum omnino Graecis. Apud Graecos tamen non pauci claruere, Andronicus ſcilicet Comnenus, Theophanes Nicaeae Archiep., Nilus Cabaſilas, Nicolauſque hujus Nepos; Emmanuel Calecas, Joannes Cypariſſiota, Arſenius Monachus Graecus Canonum collector, Nicephorus Calliſti, Theodorus Agnoſtes, Nicephorus Gregoras, Pachimeres: & poſtremùm labente ſaeculo Emmanuel Chryſo-

ſoloras, qui legationis munere ad Italos functus, quaſi novum ſcientiae ſidus, Graecam linguam per annorum fere ſeptingentorum ſpatium exilio multatam, tanquam poſtliminio in Italiam reduxit.

XXVII. En quae dicenda putavi de infeliciori linguae, & eruditionis Graecae fato; at verò ad fructum ex hoc qualicunque hiſtorico excurſu percipiendum, praeſtantiamque, & utilitatem illius idiomatis magis, magiſque agnoſcendam, unum hoc ſufficiet, ut eorum, quae perſequuti ſumus, cum iis, quae perſequi reliqua habemus fauſtioribus temporibus, comparatio inſtituatur. Redeuntibus enim paulatim litteris Graecis lux quaedam nova, poſt longam noctem, vel Auſtrinum Caelum dixeris illuxiſſe ingeniis, ſcientiiſque omnibus, ac ſingulis; quod ita evenit.

XXVII. Quintodecimo ſaeculo ſenſim linguae Graecae, omnium, que ſcientiarum in melius mutatio.

XXXVIII. Expugnata, captaque Turcarum armis Conſtantinopoli, ſaeculo ſcilicet XV., quamplures ab illa Graeci doctrina exculti exulantes, ſeſe in Italiam receperunt, ubi immorantes, Graecam linguam, & ſcientias omnes in priſtinum reſtituere. Emmanuel Chryſoloras, cujus paulo ante mentionem fecimus, primùm Venetiis, mox Florentiae, Romaeque, ac demum Ticini eam linguam docuit; ejuſque ex ſchola Leonardus Aretinus, Fran-

XXVIII. Graecarum litterarum in Italiam noviſſimus reditus; virorumque doctiſſimorum e Graecia adventus.

ciſcus Barbarus, Philelphus, Guarinus, ac Poggius litteratiſſimi omnes, celebreſque viri prodiere. Succeſſorem ſibi Beſſarionem habuit, qui dein ſacra decoratus eſt purpura, vir peritiſſimus Graecae non ſolum, ſed & Latinae linguae, ſectator, ac defenſor Platonis acerrimus, Theologus inſuper, ac litteratorum fautor ſtudioſiſſimus. Id temporis Georgius Trapezuntius Cretenſis excelluit, qui Romae docuit, ac valdè Ariſtoteli favebat, impugnabatque Platonem. In Italiam quoque venit Theodorus Gaza Theſſalonicenſis, qui tam mira diligentia plurima e Graeco in Latinum vertit, ut meritò a Ludovico Vives (a) Princeps interpretum vocari meruerit. Venit & Argyropilus Byzantinus, cui Florentiae recepto, praeter Cathedram, quam ad erudiendam Graeca lingua illius urbis juventutem obtinuerat, demandatum & munus fuit a Coſmo Mediceo praeceptoris Petri ejus filii, ac Laurentii ejus nepotis. Venit tandem & Marcus Muſurrus, Cathedram Patavii aſſequutus, & Joannes Laſcaris, qui Auctores Graecos interpretati ſunt, ut taceam de Michaële Apoſtolio, Moſcopolo, ac Maximo Planude. Interea quamplurima Graecorum ſcripta in La-

(a) Ludovicus Vives lib. de rat. ſtud.

Latinum ſermonem verſa ſunt, ut Homerus ab Argyropilo, Plato a Marſilio Ficino, Ariſtoteles, ac Theophraſtus a Gaza, ut tot alios omittam, quos longum eſſet enumerare univerſos. Non leve autem commodum, utilitatemque ab hiſce interpretationibus percepere quicunque aliis ſucceſſivè temporibus Graecos auſi ſunt Auctores convertere.

XXIX. Conclusio primae partis tractationis, atque hiſtoriae utriuſq; linguae univerſim enarratae ad oſtendenda earundem aequalia fata.

XXIX. Rectè igitur aequiparatis omnibus rei momentis, palam eſt, nulla unquam aetate apud noſtrates floruiſſe, aut jacuiſſe, aut iterum caput extuliſſe, ſeque erexiſſe Graecam linguam, quin eodem fato Latina etiam, necnon diſciplinarum omnium decus claruerit, aut contabuerit, aut in priſtinum reſtitutum fuerit. At verò, quae generatim hactenus, & per tranſennam attigi, ut Graecae, Latinaeque linguae, & eruditionis hiſtoriam oculis lectorum, tanquam in brevi ſchemate, ſubjicerem; ea nunc reliquum eſt, ut majori ἀκρίβεια perſequar; ſingularum ſcilicet artium, diſciplinarumque locos nominatim percurrendo, oſtendendoque illas a Graecis acceptas fuiſſe.

XXX. Eloquentia Romana quantum ex Graeca locupletata.

XXX. Prius autem de eloquentia ſermonem inſtituemus, quippe ſi credimus Ciceroni (a), nullum aliud praeter elo-

(a) Cicero de Orat. lib. I.

quentiae ſtudium poſt legum inſtitutionem amplexi ſunt Romani : *Atque ut omittam Graeciam , quae ſemper eloquentiae Princeps eſse voluit , atque illas omnium doctrinarum inventrices Athenas , in quibus ſumma dicendi vis , & inventa eſt , & perfecta : in hac ipſa civitate nulla unquam vehementius , quàm eloquentiae ſtudia viguerunt*. Praeteribo rudia ſaecula , atque ab Imperii conſtitutione exordiar , ut cum Cicerone (a) loquar: *Poſteaquam Imperio omnium gentium conſtituto diuturnitas pacis otium confirmavit , nemo fere laudis cupidus adoleſcens non ſibi ad dicendum ſtudio omni enitendum putavit . Ac primò quidem totius rationis ignari , qui neque exercitationis ullam vim , neque aliquod praeceptum artis eſse arbitrarentur , tantum , quantum ingenio , & cogitatione poterant , conſequebantur . Poſt autem auditis Oratoribus Graecis , cognitiſque eorum litteris , adhibitiſque eorum doctoribus , incredibili quodam noſtri homines dicendi ſtudio flagrarunt* . Diverſas admodum aetates iſtas , quibus paulatim crevit eloquentia , ac tandem ad faſtigium evecta eſt , acceptas a Cicerone (b), ſingillatim recenſet Quintilianus (c): *Hinc ſunt Laelii , Africani , Catones , Gracchique , quos tu licet Polygnotos , vel Calones* ap-

(a) Ibidem . (b) Cicero de clar. Orator.
(c) Quintil. lib. 12. c. 10.

appelles. Mediam illam formam teneant Lucius Craſsus, Q. Hortenſius; tum deinde effloreſcat non multum inter ſe diſtantium temporum Oratorum ingens proventus. Hinc vim Caeſaris, indolem Coelii, ſubtilitatem Caſſii, gravitatem Bruti, acumen Sulpitii, acerbitatem Caſſii, diligentiam Pollionis, dignitatem Meſsalae, ſanctitatem Calvi reperiemus.

XXXI. Inter praeſtantiores tamen adeo excelluit Cicero, ut ſicuti fuit, ita omnibus ſemper futurus ſit exemplar, & norma bene, eleganterque ſcribendi. Videtur autem Quintiliano (a) ſingulares omnes eloquentiae partes e tribus illuſtrioribus Graecis Demoſthene, Platone, & Iſocrate collegiſſe Ciceronem, ac in ſuas deinde orationes tranſtuliſſe: *Nam mihi videtur Marcus Tullius cum ſe ad imitationem Graecorum contuliſset, effinxiſse vim Demoſthenis, copiam Platonis, jucunditatem Iſocratis*. Quod autem ſpeciatim Quintilianus de Tullio, fatetur & Valerius Maximus (b) generatim de eloquentia Latina, cui plurimum contuliſſe Graecam aſſerit: *Quis ergo huic conſuetudini, qua nunc Graecis actionibus aures Curiae exſurdantur, januam patefecit? ut opinor, Molo Rhetor, qui*

XXXI. Cicero ipſe quanrum profecerit per eandem.

(a) Quintil. lib. 10. c. 1.
(b) Valer. Max. lib. 2. c. 1, C. de Mario.

qui ſtudia M. Ciceronis acuit. Eum nanque ante omnes exterarum gentium in Senatu ſine interprete auditum conſtat. Quem honorem non immerito coepit, quoniam ſummam vim Romanae eloquentiae adjuverat. Praeterea neminem latet Ciceronem orationes ſuas in Antonium Philippicas, non Antonianas, ut debuiſſet, appellaſſe, qua re imitatorem ſeſe Demoſthenis profitebatur, gloriabaturque. Omnes quoque libri, in quibus Rhetorices praecepta tradit, cujuſmodi ſunt partitiones oratoriae, Orator, Brutus, caeterique, a Graecis fontibus derivant, quemadmodum & ipſe (a) de Oratore ſuo teſtatur: *Omnem antiquorum & Ariſtoteleam, & Socraticam rationem oratoriam complectantur.* Hinc Latinam eloquentiam Graecae parem eſſe ſentit Quintilianus (b): *Oratores verò, vel praecipuè Latinam eloquentiam parem facere Graecae poſſunt.*

XXXII. Artem Hiſtoricam Romani an acceperint a Graecis.

XXXII. Quod de eloquentia dixit Cicero, rudem nempe atque incomptam ab exordio extitiſſe, aptè congruit etiam hiſtoriae, quae initium habuit ab Annalibus, quos Pontifices Romani ſub Numa ſcribebant, ut habetur ex Vopiſco (c): *Poſt Romuli exceſſum novello adhuc Romanae urbis*

(a) Famil. epiſt. 9. lib. 1. (b) Lib. 10. cap. 1.
(c) Vopiſcus in Vit. Tacit. Imp.

urbis Imperio penes Pontifices ſcribendae hiſtoriae poteſtas fuit. Quare cum hujuſmodi Annalium Scriptores valde rudes ſaeculis illis fuerint, ut docet Cicero (a): *Si aut ad Fabium, aut ad eum, qui tibi ſemper in ore eſt, Catonem, aut ad Phanium, aut ad Venonium venias, quanquam ex his alius alio plus habet virium, tamen quid tam exile, quàm iſti omnes*: idcirco pauca de ipſis verba facturus, referam ſolum, multa ipſos graecè ſcripſiſſe, multaque etiam e Graeco vertiſſe, ut appareat litterarum Graecarum ſtudio nihilominus fuiſſe deditos, atque ad Graecorum Auctorum imitationem ſe contuliſſe. Ennius juxta ea, quae ſcribit Lactantius (b) latinè vertit Hiſtoriam Deorum Euhemeri: *Antiquus Auctor Euhemerus, qui fuit ex Civitate Muſana, res geſtas Jovis, & caeterorum, qui dii putantur, collegit, Hiſtoriamque contexuit . . . . Hanc Hiſtoriam interpretatus eſt Ennius, & ſequutus*. Livius Cincius Alimentus, qui Praetor fuit Coſs. M. Claudio Marcello, & M. Valerio, ut a Livio (c) habemus, Annibalis Hiſtoriam graecè ſcripſit, comprobante Dionyſio Halicarnaſſeo (d); & Aulus Poſthumius Albinus, qui cum L. Lucullo Conſul fuit anno

(a) Cic. p. legum. (b) Lactant. lib. 1. de falſa Rel. c. 11.
(c) Livius lib. 26. (d) Dionyſ. Halic. lib. 1.

anno ab U. C. DCII. graecè quoque Romanorum Hiſtoriam contexuit, ut affirmat Gellius (a): *Albinus, qui cum L. Lucullo Conſul fuit, res Romanas oratione Graeca ſcriptitavit*. Itidem L. Siſenna in Latinum tranſtulit Mileſiacas fabulas Ariſtidis, ut inquit Ovidius (b):

Vertit Ariſtidem Siſenna, nec obfuit illi
Hiſtoriae turpes inſeruiſse jocos.

Latine idem ſcripſit Romanas res geſtas, ut tradit Aſconius Pedianus (c): *Hoc ſolum hìc adnotandum eſt hunc eſse L. Siſennam, qui res Romanas ſcripſit*, & Cicero de eodem ita ſentit (d): *Siſenna omnes adhuc noſtros ſcriptores, niſi fortè qui nondum ediderunt, de quibus exiſtimare non poſſumus, facilè ſuperavit. Is tamen neque Orator in numero veſtro eſt habitus, & in hiſtoria puerile quoddam inſectatur, ut unum Clitarcum, neque quemquam praeterea de Graecis legiſse videatur; eum tamen velle duntaxat imitari, quem ſi conſequi poſset, aliquantum ab optimo tamen abeſset*. Idem Cicero (e) ejus denotat aetatem: *Inferioris aetatis erat proximus L. Siſenna interjectus inter duas aetates Hortenſii, & Sulpitii*. His igitur miſſis, aliiſque quampluribus, quos affert

(a) Gell. lib. 3. c. 10. (b) Ovid. 2. Triſt.
(c) Aſcon. Pedian. in Orat. (d) Cic. pro Corn.
(e) Cic. in Bruto.

fert Voſſius (a) ; ſat erit referre ; quae tradit Quintilianus (b) de Latina Hiſtoria, cum maximè polleret, ac de duobus potiſſimum Hiſtoricis Latinis, qui cum Graecis ab ipſo aequantur; cujus judicium ex aequo protendendum nobis erit ad alios Hiſtoricos, nempe ad Caeſarem, Cornelium Nepotem, caeteroſque ab ipſo praeteritos, ut apud Criticos videre licet. En igitur verba Quintiliani : *At Hiſtoria non ceſserit Graecis, nec opponere Thucydidi Salluſtium vereor ; nec indignetur ſibi Herodotus aequari Titum Livium, cùm in narrando mirae jucunditatis, clariſſimique candoris, tum in concionibus ſupra quam enarrari poteſt, eloquentem.*

XXXIII. Poeſis a Graecis ad Romanos profecta.

XXXIII. Ut veniam nunc ad Poëſim, non eſt cur Livium Andronicum, qui primus Romae fabulas docuit, Coſs. Cl. Centone Appii Caeci Filio, & Marco Sempronio Tuditano, aut Quintum Ennium commemorem, qui natus eſt, Coſs. Quinto Valerio, & C. Manilio, etſi Svetonius utroſque appellet Oratores, ac Poëtas ſemigraecos, uti jam vidimus (c), quòd ab ejus exordio valde rudis fuerit Poëſis, quemadmodum de Hiſtoria dictum eſt ; quare ſi nihil a poſteris priori-

(a) Voſs. de Hiſt. Gr. & Lat. (b) Quintil. lib. 10. c. 1.
(c) Supra §. IX.

bus illis additum fuiſſet: *nihil in Poëtis ſupra Livium Andronicum*, (ut appoſitè Quintilianus) (a) *nihil in Hiſtoricis ſupra Pontificum Annales haberemus*. Omittam etiam Attilium, qui Sophoclis Electram vertit, ut tradit Cicero (b): *A quibus tantum diſſentio, ut cum Sophocles vel optimè ſcripſerit, Electram tamen malè converſam Attilii mihi legendam putem*. Volcatius Sedigitius in quinto Comicorum Poëtarum ordine eum collocat, tametſi Cicero (c) duriſſimum eum appellet: *Hic enim Attilius Poëta duriſſimus*. Omittam & Lucilium Satyricum, de quo ſentit Horatius (d), quod fluat lutulentus, & habeat aliquid, quod tolli poſſit;

Ut magnum, verſus dictabat ſtans pede in uno,
Cum flueret lutulentus, erat quod tollere velles.

& Pacuvium, atque Accium, quamvis e Nonio Marcello, Varrone, & Agellio nobis innoteſcat, multa Accium e Graecis ſumta fabularum argumenta, ut Andromache, Andromede, Atreus, Clytemneſtra, Medea, Meleager, Philoctetes, Thereus, pertractaſſe; & eos dumtaxat recenſebo, quorum ſtudio, & opera ſum-

mum

(a) Quintil. lib. 10. c. 2. (b) Cic. p. de fin.
(c) Cic. 20. epiſt. lib. 14. ad Attic.
(d) Horat. ſerm. lib. 1. ſat. 4.

mum decus, & ornamentum Poëſis adepta eſt, Quintilianum (a) ſequutus, qui Latinos Poëtas cum Graecis conferens ab Epicis ita auſpicatur: *ut apud illos* (Graecos) *Homerus, ſic apud nos Virgilius auſpicatiſſimum dederit exordium omnium ejus generis Poetarum Graecorum, noſtrorumque illi haud dubiè proximus*. Et revera quis ignorat Aeneida ad imaginem Iliadis, & Odyſſeae Homericae elaboratam eſſe? De Elegia verò loquens idem(b) Auctor, parem graecae eſſe exiſtimat: *Elegia Graecos quoque provocamus*: Et huic ſubnectens Tragoediam: *Varii Thieſtes* (ait) *cuilibet Graecorum comparari poteſt*. Quod autem ad Lyricam pertinet (c), etſi de Horatio non aliud dicat, praeterquamquod ipſe ferè ſolus legi dignus ſit: *at Lyricorum idem Horatius ferè ſolus legi dignus*; ex his verbis colligi tamen poteſt, quantum Pindaro proximus ipſe fuerit, qui omnem curam hujus Auctoris, aliorumque Graecorum imitationi impenderit, impendendamque omnibus praeceperit, & praecipuè Piſonibus, ad quos ita ſcribit (d)

. . . . *Vos exemplaria Graeca*
Nocturna verſate manu, verſate diurna.

De Romana autem Comoedia longè aliter

G 2 opi-

(a) Quintil. lid. 10. c. 1. (b) Quintil. ibid.
(c) Idem ibid. (d) Horat. de Art. Poet. lib. ad Piſon.

opinatur laudatus Quintilianus (a); nam ſubdit: *In comoedia maximè claudicamus*, & rationem affert: *adeo ut mihi ſermo ipſe Romanus non recipere videatur illam ſolis conceſſam Atticis Venerem*. Attamen haec non fuit Varonis opinio, qui muſas, ſi latinè loqui vellent, Plautino ore locuturas fuiſſe ſentiebat. Quod ille de Plauto, ſi nos idipſum de Terentio dicamus, qui & feſtivus, & purus, & elegans eſt, non abs re judicabimus; Juliuſque Caeſar optimus hac in re judex calculum nobis addet ſuum, qui nimirum Terentium, nonniſi DIMIDIATUM FUISSE MENANDRUM Graecarum Comoediarum Auctorem, dixit, ut ipſius de Terentio fert Epigramma (b)

Tu quoque, tu in ſummis, o dimidiate Menander,
Poneris, & merito puri ſermonis amator;

nec non Ovidius, qui prae Latinis fabulis ob jucunditatem, & elegantiam Graecas, & quidem ejuſdem Menandri commendat (c):

Fabula jucundi nulla eſt ſine amore Menandri,
Et ſolet hic pueris, virginibuſque legi.

XXXIV.

(a) Quintil. ibid.
(b) Apud Joan. Cleric. in Fragment. Menandr., & Philemon. inter teſtimon. de Menandro.
(c) Ovid. Triſt. l. 2. eleg. 1. verſ. 369.

XXXIV. Superſunt reliquae artes, & ſcientiae, quibus anteibit Philoſophia, cum & Cicero (a) eam appellet: *laudatarum artium omnium procreatricem quandam, & quaſi parentem*. Quamvis e Plutarcho, qui Ciceronis vitam ſcripſit, atque ex aliis Auctoribus compertum nobis non eſſet, Ciceronem Athenis ſub Antiocho Aſcalonenſi Academico, & in Aſia ſub Senocle, Dionyſio, ac Menippo, & Rhodi ſub Apollonio Molone litteris Graecis operam dediſſe, dummodo a nobis legerentur ejus libri de Oratore, de Philoſophia, & Tuſculanae quaeſtiones, fateri cogeremur praeſtantiſſimum, ac omnium ſectarum peritiſſimum Philoſophum fuiſſe. Quid? ſi ingenioſiſſimi Lucretii Poëma (ſi ita nominare licet) perpendimus, nonne Auctorem hunc ex Democriti, atque Epicuri ſchola exiviſſe deprehendimus? quid? nonne Cornelius Celſus Scepticos ſequutus, Plancus Stoicos, Epicureos Catius, quamplura ſcripſere, ut conſtat ex Quintiliano? Quod autem attinet ad Ariſtotelis placita, dum adhuc viveret Cicero, tenebris involuta erant, nec niſi unus Cicero fortaſſe Athenas peregrinatus illa noverat. Quidam enim Appelico Ariſtotelis libros multo

XXXIV. Philoſophia itidem univerſa.

(a) 1. Orat.

multo tempore deliteſcentes, ac cum ſitu, & blattis pugnantes ad inſtruendam ſibi Athenis magnificentiſſimam bibliothecam, magno emit pretio, quae tandem a Sylla, ut ibidem refert Plutarchus, expugnatis, depopulatiſque Athenis, Romam illata eſt, ubi cum Andronicus Rhodius Peripateticus Ariſtotelis, ac Theophraſti ſcripta in lucem edidiſſet, eiſdemque, ut eodem loco Plutarchus, locupletiſſimos indices adjeciſſet, tunc ſolum temporis Philoſophia Ariſtotelica efflorеſcere, ac clareſcere coepit.

XXXV. Probatur per partium ſingularum ferè enumerationem.

XXXV. De Philoſophia hactenus in univerſum loquuti ſumus, ſed praeſtat eam in rationalem, naturalem, & moralem antiquorum exemplo diſtribuere, in quibus omnibus quantum excelluerit Cicero, ex ſolo Scipionis ſomnio, Macrobius (b) in luculentiſſimo ejus commentario oſtendit his verbis: *Nullam de tribus Tullius in hoc ſomnio praetermiſit; nam illa ad virtutes, amoremque patriae, & ad contemptum gloriae adhortatio, quid aliud continet, niſi Ethicae Philoſophiae inſtituta moralia? Cum verò vel de ſphaerarum modo, vel de novitate, ſive magnitudine ſiderum, deque principatu ſolis, & circis coeleſtibus,* *cin-*

(a) Macrob. in ſomn. Scip. lib. 2.

cinguliſque terreſtribus , & Oceani ſitu loquitur , & armoniae ſuperum pandit arcanum , Phyſicae ſecreta commemorat . At cum de motu , & immortalitate Animae diſputat , cui nihil conſtat ineſse corporeum , cujuſque eſsentiam , nullius ſenſus , ſed ſola ratio deprehendit , illic ad altitudinem Philoſophiae naturalis aſcendit . Miſſum facio librum de conſolatione ejuſdem Ciceronis , quem amiſimus , & illum de Officiis , in quo valde imitatus eſt Panetium Rhodium Stoicum Scipionis Africani praeceptorem , qui perelegantes ejuſdem nominis libros confecit , ut animadvertit P. Prouſt (a).

XXXVI. Medicina e Graecis ad Romanos traducta .

XXXVI. Cum ſit autem Philoſophiae naturalis quoddam veluti germen medicina , idcirco hanc illi ſubjiciam . Verùm praetermittens , quod Plinius (b) de Arcagate dixit , tanquam de primo hujus artis profeſſore , qui e Graecia Romam venerit ; & quod Tiraquellus (c) de nobilitate , & Plinius Valerianus (d) de Re Medica , & Paulus Aegineta (e) de quibuſdam Romanis Imperatoribus commendatis ab Artis Medicae profeſſione , paucis me expediam , unum commemorans

(a) P. Prouſt in primum Oratoris .
(b) Plin. lib. 26. Hiſt. nat. c. 1.
(c) Tiraquel. de nobilit. c. 31. n. 157.
(d) Plin. Valerian. de re medic. lib. 1. c. 19.
(e) Paul. Aeginet. lib. 7. c. 17.

rāns Cornelium Celſum. Floruit ipſe Augusti temporibus, ac de praeclariſſima fuit Cornelia gente Romana, neque hanc artem exercere, cum poſceret, urgeretque occaſio, dedignabatur, nam id virum nobilem decet, ut probat laudatus Tiraquellus (a). Omnia autem, quae ſcripſit, ab Hippocrate deſumpſit, nec quidquam ſui addidit, niſi methodum, & eloquentiam adeo ſingularem, ut omnibus veluti fax in hoc genere ſcribendi praeiverit. Sed qui de ipſo dignius, ac prolixius optaverit elogium, audiat Vanderlinden in Epiſtola dedicatoria ad librum ejuſdem Celſi Lugduni Batavorum editum MDCLII.: *Neque vulgare eſt, quod de noſtra aetate Celſus promeruerit. Quam enim ab Hippocrate, ab Aſclepiade, ab aliis Graecorum plurimis accepit ſcribendi de Medicina materiam, hoc ipſe fecit meliorem, quod primus etiam ſic conceperit, ut eſset ad diſcendum aptior, ad faciendum promptior; Graecorum antea nemini, quod ſciam, id laudis datum, quod artem redegerit in ſyſtema, & corpus methodo conſtitutum*. Hinc non mirum ſi Hippocrates Romanus appellaretur, ut refert Joannes Rhodius (b), cum ob accuratam illius Graeci imitationem

(a) Tiraquel. ibid.
(b) Jo. Rhod. de Acia cap. 16.

nem hoc nomen ſibi meruerit.

XXXVII. Ad Matheſin tandem accedamus, quae aut pura, aut miſta eſt. In pura quemquam Romanorum excelluiſſe non conſtat praeter Marcum Varronem, de quo ita ſcribit Quintilianus (a): *Terentius Varro vir Romanorum eruditiſſimus, peritiſſimus linguae Latinae, & omnis antiquitatis, & rerum Graecarum, noſtrarumque*. Illam enim, quam ipſe ſcripſit Arithmeticam, commemorat Cenſorinus (b), ut teſtatur Varro in eo libro, cui titulus eſt *Atticus*, & eſt de numeris; ubi in editione Aeliae Vineti pro *Atticus* eſt *Articulus*; quemadmodum etiam citat Delrio initio Commentariorum in Senecae Medeam. Menſuralium Varronis quoque meminit Priſcianus (c); quae omnia malo fato amiſimus, quamvis Vertranius Maurus (d) ita ſcribat de ipſius Arithmetica: *Libellus ejuſdem eſt hodie quoque ſuperſtes divinitus a Marco Varrone ſcriptus, uti ſunt omnia ab illo profecta. Eum nos Romae cum P. Fabro, Augerioque Ferrario viris doctis, amiciſque noſtris ex Bibliotheca Rudulphi Cardinalis adſervatum apud Laurentem Stroſſium Cardinalem vidimus*. Inter Romanos Geometras videtur Voſſio Ge-

XXXVII. Nec non Matheſis pura, atque miſta.

H mi-

(a) Quintil. lib. 10. c. 1. (b) Cenſorin. de die nat. c. 2.
(c) Priſcian. lib. 10. (d) Vertran. Maur. in Vit. Var.

minus etiam enumerandus , qui graecè ſcripſit , vivente Cicerone , Pompejoque , ut ipſe eruit e Catalogo librorum ex Barrociana Bibliotheca in Angliam delato , a ſe viſo , & nondum edito , Geminumque hunc exiſtimat libertum fuiſſe Geminorum , ſeu Geminiorum , ſeu Geminianorum , qui in antiquis ſcriptoribus , nedum in monumentis celebrantur . Quod ad Matheſin miſtam pertinet , ſermonem habens Macrobius (a) de anno , quem ordinavit Numa , ſuſpicari videtur inſtructum fuiſſe Numam illa regula , quam in conſtitutione anni adhibuere Graeci : *Quia Graecorum obſervatione forſan inſtructus eſt* . De hac autem Numae peritia non dubitat profecto Voſſius (b) , dum ait : *Rex Numa Graecorum exemplo ſic annum diſpenſavit , ut quò lunaris annus cum ſolari conveniret , alternis bienniis nunc XXII. , nunc XXIII. intercalaret , quod fiebat poſt Terminalia* ; ac paulo inferius addit : *interim iſto abiit a Graecis , quod annum a bruma inchoaret , quem Graeci ordirentur a ſolſtitio* . Quinimo Macrobius ipſe eodem capite prope finem omnino aſſerit , annum Romanum ad exemplum Graeci conſtitutum fuiſſe : *Cum verò Romani ex hac diſtributione Pompilii*

(a) Macrob. lib. 1. c. 13.
(b) Voſs. lib. Sc. Math.

pilii ad Lunae curſum, ſicuti Graeci, annum proprium computarent, neceſsario & intercalarem menſem inſtituerunt more Graecorum. Celeberrimos in Aſtronomia ſe reddidere Lucius Arruntius, & Julius Caeſar, quos citat Plinius (a) in indice Auctorum, quos ipſe ſequutus eſt: *Arruntio, qui Graecae de Aſtris ſcripſit, Caeſare Dictatore, qui item:* in quibus verbis animadvertere libet, quemadmodum de primo graecè ſcripſiſſe apertè dixit, de ſecundo etiam dicere voluiſſe. Plurima autem e Caeſare deſumpta, quae ad ortum, & occaſum ſtellarum pertinent, refert Plinius (b); nec non plurimis, eximiiſque laudibus ipſum effert Lucanus ob ejus in hac ſcientia peritiam, ac potiſſimum, quia quem Pontifices jampridem Romanum annum turbaverant, non ſervata methodo intercalandi a Numa praeſcripta, ipſe correxerit, & rectè, atque ordine diſpenſaverit, ut habemus a Svetonio (c): *Faſtos correxit jampridem vitio Pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos, ut neque meſſium feriae aeſtati, neque vindemiarum autumno competerent.* Omnibus autem locis, in quibus commendatur a Lucano Caeſar, illum praefero, in quo

 eum

(a) Plin. lib. 1. (b) Plinius lib. 18., 25., 26.
(c) Sveton. in Vit. Jul. Caeſ.

eum inducit de hac anni conſtitutione ſic dicentem (a)

Nec meus Eudoxi vincetur faſtibus annus. Inter Aſtronomos pariter Cicero cenſendus, qui τὰ φαινόμενα Arati Latinis verſibus donavit, & Marcus Varro, qui a Caſſiodoro (b) Aſtronomorum numero adſcribitur, & Nigidius, cujus in Sphaeram Graecam, & barbaram commentarios Servius commemorat.

XXXVIII. De Geographia.

XXXVIII. Non dubitandum inſuper eſt, quin Pompejus, Caeſar, & quamplures alii veterum Romanorum Geographiae peritiſſimi fuerint, cum hujuſmodi ſit haec ſcientia, ut eam Imperatores, & Duces non ſine gravi incommodo ignorare poſſint. Sed haec, fortè dicet aliquis, ad Geographiam pertinere practicam. Cicero ſanè tanti hoc ſtudium faciebat, ut quemadmodum ad Atticum ſcribit, de Geographico opere cudendo ſaepe cogitaverit; quod tamen ſcribere non eſt aggreſſus difficultate, atque labore, ut ipſe fatetur, perterritus. Vetuſtiores igitur, quos habemus inter Latinos in hoc genere Scriptores, ſunt Pomponius Mela, qui Claudii Caeſaris aetate vixit, & Plinius ſecundus, qui Veſpaſiani temporibus floruit, quibus addi

poteſt

(a) Lucan. 10. Pharſal.
(b) Caſſiodor. in Mathemat.

poteſt Solinus in Collectaneis, vel in Memorabilibus, qui juxta Voſsii (a) ſententiam non multum Plinio poſterior fuit. Quid verò, & quantum Graecis debeant hujuſmodi Auctores ob ea, quae ad Geographiam ſpectant, clarè patet ex ingenti Graecorum Scriptorum numero, ad quos paſſim Latini Scriptores ſupradicti ſeſe referunt, & quibus ſummopere uſos eſſe in ſcribendo videmus. Homerum primum fuiſſe eorum, qui in Geographiae ſtudio verſatus eſt, teſtatur Strabo (b): τῆς Γεωγραφίας ἦρξε. Teſtatur hoc, & clamat etiam cura, quam adhibuit in catalogo urbium libro ſecundo Iliadis, quo omnem Graeciam deſcripſit; nec non ſtudium, quo Aſiae partem juxta Helleſpontum, ſive oram Troadis oculis ſubjecit. Alios Geographicos Graecorum antiquorum labores Marciani Heracleotis, aliorumque laudat Strabo, Plinius, Byzantiuſque Stephanus, & licet temporum injuria deperdita ſint nomina & librorum, & Auctorum, qui rem geographicam commentati ſunt, ut Hellanici Lesbii, Hecataei Mileſii, Dicaearchi, Democriti, Eudoxi, Oneſicriti, Ephori, Hipparchi, Poſidonii, & aliorum; ex tabulis tamen antiquiſſimis, Geographi-

(a) Voſs. de Philol. §. 9.
(b) Strabo lib. 1.

phiciſque Sphaeris, quas compoſuere, cognoſcitur eorum induſtria. Fuit autem Anaximander Mileſius, Thaletis, qui in in ſeptem Graeciae Sapientium refertur album, diſcipulus, primus, qui orbem terrarum in tabula conatus eſt deſcribere (a): Πρῶτος ἐτόλμησε τὴν οἰκουμένην ἐν πινάκι γράψαι teſtibus Agathemero, & Diogene Laërtio (b). Herodotus (c) nobis auctor eſt, Ariſtagoram Mileſiorum Tyrannum, quum Spartam veniſſet, ibidem oſtendiſſe aeneam tabulam, in qua totius terrae ambitus inciſus erat: Χάλκεον πίνακα ἐν ᾧ γῆς ἁπάσης περίοδος ἐνετέτμητο. Aelianus verò narrat Socratem oſtendiſſe Alcibiadi Athenis * in tabella terrae deſcriptionem: πινάκιον ἔχον γῆς περίοδον. A Graecis itaque hanc ſcientiam una cum reliquis ad Romanos migraſſe quis dubitaverit?

XXXIX. De Architectura.

XXXIX. Marcus Vitruvius Pollio, ut de Architectura aliquid attingam, ſub Auguſto Caeſare decem in eandem ſcripſit libros, quos eidem Caeſari dicavit. In primis octo tam de publicis, quàm de privatis aedibus agit; in nono autem de Gnomica, ac in decimo de Machinationibus, ſeu de machinandi arte; & nedum in hac Matheſis parte, ſed & in caeteris valde

(a) Agathem. Hypotypoſ. Geograph. lib. 1. c. 1. (b) Diog. Laert. in vit. Anaximand. (c) Herodot. lib. 5. c. 49.
(*) Aelian. Var. Hiſt. lib. 3. c. 28.

valdè excultus fuit, quod manifeſtò appà-ret ex illa rerum peritia, quam optimo Architecto ineſſe vult, quemadmodum eſt Geometriae, Opticae, Arithmeticae, Aſtronomiae, aliarumque notio. Plura autem ab hoc Auctore deſumi poſſunt argumenta, quibus hanc artem a Graecis petitam probemus. Agit enim ipſe de Architecturae ordinibus, quos Graecos inveniſſe conſtat; plures inſuper citat Auctores Graecos, ut in praefationibus ad ejus libros intueri facillimum eſt, ac tandem frequentes adeo Graecas habet voces, ut quidam crediderint aurea lingua loquutum non eſſe.

XL. De Juriſprudentia apud Romanos in primis nata.

XL. Juriſprudentiam quidem haud dixeris Romanos a Graecis accepiſſe; hi enim nonniſi quandam profitebantur JURIS PHILOSOPHIAM, ut ex libris *de legibus* Platonis docemur. Juriſprudentiae igitur Patres, Auctoreſque meritò laudantur Romani. Certiſſimum tamen hoc quoque, pleramque legum partem hauſiſſe e Graecis Romanos, ut habemus a Cicerone (a), cujus, aliorumque auctoritati fidens Gravina, de modo, quo petitae ſunt a Graecis leges ita ſcribit (b): *Hinc ab anno U. C. CCC. Spurio Tarpejo, & A. Terminio*

(a) Cic. lib. 2. de legib.
(b) Grav. ſpec. pr. jur.

minio Coſs. res ad Senatum delata eſt, & ex ſententia P. Romilii factum Senatuſconſultum (quod deinde fuit Plebiſcito confirmatum) ut tribus triremibus pro Majeſtate Imperii Romani magnificè inſtructis Legati per Italiam, & univerſam Graeciam petitum leges mitterentur; creatique ſunt Sp. Poſthumius, Sext. Sulpitius, A. Manlius, qui utiliores civitatum ſingularum, ac Athenienſium potiſſimum leges deſumſerunt; Nonnullas a Lacedemoniis fuiſse ſumtas Athenaeus lib. 2. in fin., & Ammianus Marcellinus lib. 16., & Tribonianus Inſtitut. de jur. nat. gent., & civil. §. ultim. tradiderunt. Igitur leges in urbem delatas Decemviri, ad quos juſsu Populi earum componendarum poteſtas, & Conſulum, atque Magiſtratuum auctoritas redacta erat, in decem tabulis digeſserunt partim integras, quales acceperunt, partim emendatas, & ad urbis mores, Populique conſuetudini conformatas, adhibito in conſilium Hermodoro Epheſio in Italia tunc temporis exulante, qui Romanis ejus legationis Auctor fuit, quemque plurimum ei negotio contribuiſse, ac aliquas etiam leges Romanorum condidiſse accepimus a Strabone: Quò pertinet omen illud Heracliti, qui ad Hermodorum ſcribens, ſpeciem ſibi ait oblatam in ſomniis Orbis univerſi venerabundi, & ad illius leges Perſarum more, compoſitis ad oſculum labiis procumbentis: ὄναρ ἰδὼν, τοῖς σοῖς

νό-

νόμοις τὰ παρὰ πάσης τῆς οἰκουμένης διαδήματι προσίεναι καὶ κατὰ τὸ ἔθος τῶν Περσῶν ἐκλείοντας τὸ στόμα προσκυνεῖν αὐτούς.

XLI. De Logica, Dialectica, & Mechanicis.

XLI. De reliquis quid non foret dicendum, ni vererer patientia lectorum abuti? Deficiet enim citiùs oratio, quàm argumentum. Non aliunde, quàm a Graecis petiere Romani totius Philoſophiae inſtrumentum Logicum, organum illud magnum Ariſtotelis; neque aliunde Dialecticen, artem utrinque diſſerendi, dijudicandi fontes, ſedeſque argumentorum inveniendi, fatente ultro Tullio in *Topicis* ex Stagiritae libris depromtis (a). En igitur quemadmodum demonſtratum eſt, ut e Graecis ad veteres Romanos artes omnes, & diſciplinae tranſierint; immo non artes ſolùm, diſciplinaeque, quae penes intellectum ſe habent, ſed & aliae, quae Mechanicam reſpiciunt, quibus addas Picturam, Muſicam, & Palaeſtras; quod & Horatius (b) animadvertit iis verſibus:

Venimus ad ſummum fortunae, pingimus, atque
Pſallimus; & luctamur Achivis doctius unctis.

XLII. De ſcopo, & fructu Romanorum in addiſcendis Graecis litteris.

XLII. Ex iis autem, quae hactenus dicta ſunt de optimarum artium, diſcipli-

 na-

(a) Cic. in Topic. §.1.2.3.4.
(b) Horat. epiſt. lib. 2. ad Auguſt.

narumque penes Romanos propagatione, evidentiſſimè apparet, quis fuerit revera ſcopus, in quem veteres illi, optimique collineaverint; nimirum ea magni momenti utilitas, quam in rem ſuam a Graeca lingua derivare poſſent ad rectè addiſcendas artes, diſciplinaſque a Graecia in Latium traductas. Quod quidem intelligendum exiſtimo illo de tempore, quo fuit Romae Carneades; tunc enim Romana juventus primùm totam ſeſe Philoſophiae efflictim dedere coepit (a), nimirum anno ab U. C. DXCIX. Pub. Corn. Scip. Naſica, & M. Claudio iterum Coſs.; cum ferè annis ante centum, nimirum DX., aut DXIV. Cajo Claudio, & M. Tuditiano Coſs., jam docuiſſet Romae linguam Graecam Livius Andronicus (b). Per totum vero ſpatium illud, quod interceſſit a Livio Andronico ad Carneadis adventum, Philoſophiae Romanos operam navaſſe vix inveneris; multo minus ullo ſcripto Philoſophico ab ipſis edito probaveris. Immo habemus teſtimonia certa, quod ante eam aetatem Philoſophia Graecorum fuerit res ferè ignota Romanis: & inter alia id, quod Cato Cenſorius exhibet in quadam epiſtola ad filium Athe-

(a) Supra §. IX.
(b) Ibidem.

Athenis ſcripta, cujus refert C. Plinius II. haec verba (a) : *Dicam de iſtis Graecis ſuo loco, Marce Fili, quid Athenis exquiſitum habeam, & quod bonum ſit eorum litteras inſpicere, non perdiſcere. Vincam nequiſſimum, & indocile genus illorum: & hoc puta vatem dixiſse. Quandocumque iſta gens ſuas litteras dabit, omnia corrumpet. Tum etiam magis ſi Medicos ſuos huc mittet. Jurarunt inter ſe Barbaros necare omnes medicina. Sed hoc ipſum mercede faciunt, ut fides iis ſit, & facile diſperdant. Nos quoque dictitant Barbaros, & ſpurcius nos, quàm alios, opicos appellatione foedant.* Ex quo ſermone apparet longè poſteaquam Roma Graecae linguae magiſtros habuiſſet & Philoſophiam exulaſſe, Romanoſque Barbaros viſos Graecis. Et paulo ante ipſe Plinius dixerat (b). *Populus Romanus ultra ſexcenteſimum annum nec ipſe in accipiendis artibus lentus.* Haec itaque eſt naſcentis inter Romanos Philoſophiae epocha. Priora autem ſtudia linguae propter eximiam pulchritudinem impenſa videntur. Habent nimirum hoc res praeclarae, atque praeſtantiſſimae, ut ob ſolam ſibi inſitam praeſtantiam ab hominibus ſine ulla alia cauſa etiam colantur, percupianturque.

I 2 Per-

(a) Plin. Hiſt. nat. lib. 29. c. 1.
(b) Ibidem.

Permagnum ſanè de linguae Graecae laudibus teſtimonium hoc eſt, quod Romani, qui cunctis populis ſubactis, Latinae imperabant linguae uſum, Graecam tamen a Graecis devictis accipere voluerint; quod rationibus, ordine, quo res evenere, & veritate hiſtoriae innixus, pereleganter expreſſit Salviatus his verbis (a): *I Romani in un colmo di loro maggiore altezza la lingua de' Greci loro vaſsalli con ogni ſtudio appararono; anzi ſiccome teſtimonia pur Cicerone ſteſso, fino a i tempi di quello, la loro propria favella verſo la Greca molto poco ſtimavano. Nè ciò ſi può dire, che faceſser per iſcienze, che nella Greca foſsero, perciocchè per ancora in un certo modo non ſe n'erano accorti; come bene alcuni ſe ne accorſero nell' età, che dappoi ſuccedette; i quali quanto minore ſtudio mettevano nelle parole, tanto furono della cognizione delle coſe più ſtudioſi, e più vaghi. Sforzavano adunque i Romani Principi in un medeſimo tempo i popoli ad apprendere la lor Latina favella, ed eſſi quella de i loro ſuggetti, e tributarj con ogni ſtudio apprendevano*. Sic diſtinguenda ſunt tempora; devictis enim Athenis, ut ſupra monſtravi (b), quae diſciplinarum omnium Graecarum patria erant, impenſiùs, fre-

(a) Cav. Lionard. Salviat. Oraz. della Fiorent. favella.
(b) Supra §. X.

frequentiuſque & linguae Graecae, & Philoſophiae ſtudium Romae viguit, & ita evenit, ut quâ initio fortè ob ſolum elegantiae, aut raritatis amorem utebantur, deinceps ad ſcientias rectè percipiendas uti inſtrumento quam maximè neceſſario opus haberent; quod cum probè noſſet, ut prius Graecis, quàm Latinis litteris imbueretur juventus, auctor fuit Quintilianus (a): *A ſermone Graeco puerum incipere volo . . . quia diſciplinis quoque Graecis prius inſtituendus eſt, unde & noſtræ fluxerunt*. Nos verò eò non reſpiciemus, nec eorum exemplo ad Graecae linguae ſtudium animum appellemus, cum & nos eadem prorſus commoda, utilitateſque praeſtolari poſſimus; immo magis ejus ope indigeamus, utpote qui Latinam linguam cum lacte non bibimus?

XLIII. De ſcopi Romanorum cum noſtro conformitate.

XLIII. Aequum eſt, ut qui parem, vel eundem ſibi propoſuere finem, parem aut eandem ineant viam ad eum obtinendum. Nemo noſtrum ſanè qui ad eloquentiam animorum illam reginam, caeteraſque diſciplinas aſpirat, non honori ſibi ducit Romanorum imitari facundiam, ad eorumque ſe effingere exemplum. Quantò magis ideo ob arctiſſimam illam

(a) Quintil. lib. 1. c. 1.

illam Latinae cum Graecarum antiquitatum eruditione conjunctionem, naturalemque, & artificialem συζυγίαν, quam hactenus patefecimus, ad fontem ipſum, caputque utriuſque reſpiciendum, & non ſolis optimorum Latinorum ſcriptis inhaerendum erit? Hujus rei evidens cauſa, & a ratione ipſa, & a Graeci viri auctoritate peti poteſt (a): ἀνάγκη μὴ μόνον προγινώσκειν τὰ πρῶτα, ἢ πάντα, ἢ ἔνια, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον. ἀεὶ γὰρ δι' ὃ ὑπάρχει ἕκαστον, ἐκεῖνο μᾶλλον ὑπάρχει. οἷον δι' ὃ φιλοῦμεν, ἐκεῖνο μᾶλλον φίλον. *Neceſse eſt*, inquit, *non ſolum praecognoſcere prima, aut omnia, aut quaedam, ſed magis; ſemper enim propter quod eſt unumquodque, illud magis eſt, ut propter quod amamus, illud ſit amicum magis*. Quod effatum utique argumento noſtro conveniens experiere, vel Graecas litteras loco ipſius finis praecipui habueris, vel vicem illas agere malueris medii ad aſſequendum finem, hoc eſt eloquentiam, veramque eruditionem; quae, proh Deum immortalem! quàm ſit jejuna, atque inermis Graeco ſine praeſidio, doctiſſimorum cujuſcunque, ac praecipuè aetatis noſtrae virorum pars maxima teſtes, judiceſque ſunto. Eſt quidem hoc diſcrimen inter veteres Romanos, atque nos; quod

(a) Ariſtot. 1. poſterior. c.2. 13.

Digitized by Google

quod ipſi omni alio intermedio auxilio deſtituti Graecos ipſos adire cogerentur : nos autem commodiùs quidem, at multò imperfectiùs e rivulis etiam accerſitis, & ab ipſo capite deductis bibere conſueverimus. Verùm adeſt aliud quoque diſcrimen. Romanis enim, ut apprimè haberentur eruditi, Graeca ſcire tantummodo opus erat; nobis autem Latina, atque Graeca. Latina enim eruditio ſola, atque a Graeca disjuncta verae eruditionis locum haud obtinet. Hinc viri ſummi neutiquam docent nos accepiſſe diſciplinarum, ac plerarumque artium praecepta a Romanis; ſed illas, Romanis propè poſthabitis, a Graecis ad nos delatas ajunt. Ita Oraculum illud humanae ſapientiae Baco Verulamius in novo organo (a): *Scientiae*, inquit, *quas habemus, ferè a Graecis fluxerunt. Quae enim Scriptores Romani, aut Arabes, aut recentiores addiderunt, non multa, aut magni momenti ſunt; & qualiacunque ſint, fundata ſunt ſupra baſim eorum, quae inventa ſunt a Graecis*. Sed hoc reapſe nobis demonſtrandum eo propemodum ordine, quo oſtendimus, Romanos ſcientiarum incrementa a graecis accepiſſe, initium ſumendo ab Oratoribus.

XLIV.

(a) Bac. Verul. nov. org. lib. 1. c. 17.

XLIV. Ad Eloquentiam quantum conferat Graecae linguae uſus.

XLIV. Noſtris aeque, ac Romanorum temporibus non modo inter viros doctos, ſed inter populares Eloquentiâ nihil prius, nihil antiquius, nihil utilius habetur. Haec verò cum ſine argumentatione, quae ex optimae Logices praeceptis; aut ſine inventione, atque diſpoſitione, quae ex arte Dialectices, aut ſine elocutione, atque varietate ſtili accomodati ad dignitatem, vel humilitatem rei uniuſcujuſque, ac denique ſine affectuum commotione, quae ex Pathologia addiſcitur, inops planè, ac nulla eſſet, quis dubitaverit haec omnia, caeteraque Oratorem cunctis numeris abſolutum facientia a Graecis vel petita, vel petenda eſſe? Audiantur hac de re Gaſparis Laurentii Hermogenis artem Oratoriam commentantis verba; iis enim ad demonſtrandam Graecorum Auctorum utilitatem, non tantùm ad Eloquentiam adipiſcendam, verum etiam ad reliquas diſciplinas, quae ab illa disjungi nequeunt, obtinendas, ab bene inveniendum, & rectè dijudicandum, nil appoſitius, eruditiuſque dici poſſe autumo (a): *Sunt quidem* Dialectica, *&* Rhetorica Δυναμεῖς facultates *in utramque partem diſſerentes, omnium diſciplinarum maximè ge-*

(a) In nuncupatoria p. m. 10.

generales , nulli diſciplinae , nulli ſubjecto ſingulari adſtrictae , per omnes ſcientias , ac per omnia argumenta diſceptabilia extenduntur : ac magis univerſales ſunt , quàm ſit ipſa Metaphyſica , ut docet Ariſtoteles lib. 1. *Metaph. , & lib.* 1. *Rhetor. , de quarum affinitate , & diſciplina ibi plura . Veruntamen ad genuinum uſum , ac contra nimis vulgatum abuſum firmiter tenendum , accuratèque docendum, tres eſse artes , vel diſciplinas ſpecie diverſas , nempe Analyticam Apodeicticam , quae theoremata in ſcientiis demonſtrat per ea , de quibus tradit regulas , & praecepta : deinde eſse Dialecticam , ſive Topicam , quae prorſus alia methodo , alio fine , ex locis , atque pronunciatis generalibus ſuis , quae ſunt,* κοιναὶ ἔννοιαι , *communes notitiae , de quovis problemate diſceptabili diſserit ; tertiam eſse Rhetoricam , quae non tantum ornamentis ſuis veſtit illa , & illuſtrat , verùm etiam propria methodo , inventione , & oeconomia ſua peculiari a ſuperioribus diverſa , ex locis quoque ſuis , receptis , & pronunciatis , quae ſunt etiam communes notitiae , orationem ad perſuadendum inſtituit de omni quaeſtione Politica , quam* ζήτημα *vocant . Sunt igitur tria* καθέκαστα *inter ſe diverſa , non ſecus ac theorema Apodeicticum , problema Dialecticum , &* ζήτημα *Rhetoricum , ſive quaeſtio Politica , inter ſe differunt . Qui ea confundunt , eodem modo faciunt ,*

ciunt, ut qui malleum, ſerram, & ſecurim pro uno, eodemque inſtrumento haberent. Illarum autem diſciplinarum genuina tractatio petenda eſt ab Auctoribus Graecis. Quaenam etiam ars, & diſciplina liberalis, quae non ab illis? Ciceronem ſupra oſtendimus (a) Eloquentiam ſuam, Dialecticeſque, & Rhetorices artem ex Graecis hauſiſſe praeceptis. Nemo autem non recurrit ad illud Romanae facundiae flumen, ſed moleſtiùs ſanè, & minori cum utilitate ſine linguae Graecae auxilio: multa enim illius lectione aut non intelliguntur, aut obſcura videri poſſunt ob Graecarum litterarum inſcitiam, quod exemplis confirmare liceat, ut ſtem promiſſis (b). Mirabitur igitur quis, quod Cicero dixerit (c): *Conſulibus Senatus permiſit, ut his rebus legem, quam ipſis videretur, dicerent*: & alibi: *Quibus igitur gradibus Romulus aſcendit in Coelum, iiſne, quae iſti appellant bona?* Idem (d): *Nos in caſtra properabamus, quae aberant bidui*: & rurſus: *Primum inter Devium, deinde ab Antonio, & caeteris quatridui*: & ad Q. Fratrem de aquaeductu loquens: *Praeſertim cum tu neque per Locuſtae, neque per Varronis velles ducere*: & alibi: *Ad Telluris quidem etiam ſtatuam tuam locavi*:

(a) Supra §. XXXI. (b) Supra §. VII.
(c) Cic. in frument. (d) Idem in Epiſt.

vi: & pro Cluentio: *Sicut in ſtatuis inauratis, quas poſuit ad Juturnae, quibus ſubſcripſit Reges a ſe in gratiam eſse reductos*: & Philippica ſexta: *In foro Livii Antonii ſtatuam videmus, ſicut illam Q. Trebellii, qui Henricos devicit ante Caſtoris*. Cui pluribus in locis negotium non faceſſet Vitruvius, ut cum ait (a): *Quantitas eſt modulorum ex ipſius operis ſumptio*? Idem (b): *Aquatiles piſcium naturae, quod temperatae ſint a calido, plurimumque ex aëris ſint compoſitae*: & alibi: *Deſcriptioque ex duodecim coeleſtium ſignorum ſit figurata*. Sed en ut tertiam tractationis partem ſenſim ingreſſi ſumus.

XLV. **Itidem ad Hiſtoriam Sacram, & profanam.**

XLV. Poſt eloquentiam Hiſtoria nihil praeſtantius, utiliuſque exiſtimamus. Haec autem ut clara ſit, atque perſpicua, requirit ſtili ſimplicitatem, puritatemque, quam nonniſi ex optimorum Auctorum ſcriptis capere licet: nec non diſpoſitionem, ordinemque in enarrationibus, praeter illum naturalem, quem affert ipſa temporum ſeries, quibus res evenere, qui ex Rhetorices praeceptis petendus eſt: ac Philoſophiae denique illius, quae ad mores ſpectat, ut de hominum actionibus rectum judicium feratur, non mediocrem cognitionem poſtulat, ut nihil dicam de Geographia, atque Chronologia, bi-

K 2

(a) Vitruvius lib. 1. c. 2. (b) Idem ibid. c. 3.

binis Hiſtoriae alis, ſine quibus humi repit, atque aegrè in altum fertur; quapropter iterum, iterumque ad Graecos fontes ableganda ſunt ingenia. Quis temporum poſteriorum eximius Hiſtoricus non ſeſe formare ſtuduit ad exemplum, & ad praecepta Herodoti, Thucydidis, Polybii, Dionyſii Halicarnaſſei, & Luciani? Quis artis Hiſtoricae Leges congerere potuit abſque illorum auctoritate? Hugonem Grotium, Dionyſium Voſſium, Auguſtinum Maſcardum, Paulum del Bene loco multorum aliorum nominaſſe nunc ſufficiat. Hiſtoria ſive profana, ſive ſacra, & Eccleſiaſtica ita poſita eſt in Graecis ſcriptoribus, ſicut omnes norunt, ut ſine hujus linguae praeſidio in ea profectus magni ſperandi vix ſint. Graeci enim, & quidem multò ante Latinos, geſta Perſarum, Aegyptiorum, Aſſyriorum, Medorumque, ut Herodotus, & Diodorus Siculus memoriae mandarunt. Graeca quoque eſt Hiſtoria, quae de diverſis Rebuſpublicis Graecis, de ipſarum bellis, de reliquis geſtis memorabilibus loquitur; ejuſdemque Auctores ſunt ipſe Thucydides, & Diodorus Siculus; nec non quae de poſteriorum aetatum poſt translationem Imperii in Graeciam rebus, de quibus agunt Nicephorus, Gregoras, aliique. Graecis

etiam

etiam ſcriptoribus valde nititur Romanorum Hiſtoria ab exordio Urbis per reliqua tempora. Polybius ex inſtituto de rebus geſtis Romanorum agit, quamvis eas cum rebus aliarum gentium, praecipuè verò Punicae miſcuerit. Huic ſubjiciendus Diodorus Siculus, qui de rebus Romanorum ſcripſit, & Dionyſius Halicarnaſſeus, cujus ſunt fideliſſimae ANTIQUITATES ROMANORUM. Debemus verò Appiano Alexandrino, quae de Bellis Punicis, Parthicis, Mitridaticis poſteritati commendavit, & Dioni Caſſio, quae ſcripſit Romanos ſpectantia, orſus ſuam Hiſtoriam ab U.C., quamque poſtea ad ſua uſque tempora perduxit, etſi non omnes ipſius libri ad nos pervenerint, quibus addi poteſt Herodianus eximiè a Politiano Latinè verſus; ac tandem Procopio, quae de Bello Perſico, Vandalico, Gothico ſcriptis mandavit. Hinc quanta illos pervolventibus affulgere lux poſſit ad conſtituenda quatuor Monarchiarum tempora, & totius Graecie, Romanique Imperii primùm Romae, deinde Byzantii conſtituti: omnium nempe origines, interitus, bella, mores, ritus, genealogias, hiſque ſimilia, neminem praeterit. Haud minus indigemus Auctoribus Graecis, ut innoteſcant nobis vitae praeclariſſimorum Ducum, Conſulum, Dictatorum, Impera-

Digitized by Google

ratorumque Romanorum ; & ut conſcii ſimus, ac gnari ſectarum omnium Philoſophorum, eorumque opinionum, quas refert Plutarchus, Diogenes Laërtius, quaequae ad nos ut plurimum, tanquam inauditae, ac novae perveniunt. Sed ſi haec de profana Hiſtoria, quid de Sacra, & Eccleſiaſtica, ut propemodum dicere auſim, nullum, niſi Graeca lingua excultum, ad ſecretiora Hiſtoricae hujuſmodi eruditionis adita acceſſum habiturum? Nonne celebris illa ſeptuagintaduorum Interpretum verſio Graeca eſt, & primitiva Eccleſia aucta praecipuè in Graecia? nonne quae docuit, & exemplis confirmavit Chriſtus Dominus quatuor Euangeliis comprehenſa, & Apoſtolorum Epiſtolae, ac geſta Graecè ferè cuncta ſcripta ſunt? Primi ab Apoſtolis Patriarchae, & Epiſcopi, ac plerique Patrum, qui ante Latinos in ſacros libros ſcripſerunt, ut Origenes, S. Gregorius Nazianzenus Theologus appellatus, S. Cyrillus, S. Athanaſius, S. Baſilius, & Sanctus Joannes Chryſoſtomus, Graeci ſunt. Item plura Concilia, & quidem praecipua: Hiſtoria haereſum, quaeque vetus Teſtamentum complectitur, Graecè ſcripta fuere. Quapropter harum rerum ſtudioſi ad unanimitatem Graecae, & Latinae Eccleſiae ſtabiliendam, ad vitas

ſan-

ſanctorum hominum, aetates Scriptorum, & apocrypha ſcripta pernoſcenda, vix eſt, quod ſibi ab Auctoribus Graecis polliceri non poſſint. Quamvis autem Hiſtoricus vera referre ex officio teneatur, non rarò tamen, ut nullus non ſcit, aut ob amorem, aut ob odium, aſſentationem, nimiam credulitatem, timorem, incuriamque a veritatis tramite deflectit. Quandoque etiam ob quandam inſcitiam circumſtantias, ut ajunt, & quidem maximi ponderis, ſilentio praeterit; ac corrupti aliquando ipſimet Auctorum textus inveniuntur, quare luce clarius eſt, ut ſi Hiſtoriae, & Eruditionis Profeſſor, quo cum ago, praeter Latinos, qui de eiſdem rebus ſcripſerunt, Graecos etiam conſulere poſſit, & Graecos cum Latinis, Latinoſque cum Graecis conferre, faciliùs, & tutiùs conſequuturus ſit veritatem; quippe aut in eodem conveniunt Scriptores, & plura ejuſdem veritatis ſic habet teſtimonia, aut diſſentiunt, & judicio protracto, ſeriùs veritatem inquiret, adhibitis, quae a Critica traduntur, regulis; quod duobus exemplis, deſumtis e priori Tomo CRITICES ANTONII PAGI placet confirmare. Inquirit Auctor (a) quo anno incoe-

(a) An. Periodi Graeco-Rom. 5811. Jeſu Chriſti 318. num. 13.

coeperit Conſtantini Monarchia, illamque conſtituit anno CCCXXV. contra Baronii ſententiam: *Verùm tam Conſtantini Monarchia, quàm Licinii interitus ad annum CCCXXV. pertinet, quod liquet ex loco Theodoreti lib. 1. cap. 1. de ducto, neminique hucuſque obſervato* Εὐσέβιος μὲν ὦν ὁ παλαιςίνυ θεοφιλῦς βασιλείας, αἱ ταῖς ἐκκλησίαις, συμβεβηκότα συνέγραψεν. ἐγὼ &c. *ideſt* Euſebius quidem Palaeſtinus Sanctiſſimorum Apoſtolorum temporibus exorſus res in Eccleſiis geſtas uſque ad Deo acceptũ Conſtantini Principatũ perſcripſit; ego verò a fine Hiſtoriae illius initium operis mei ſumam. *Quare cum Euſebius Hiſtoriam uſque ad annum CCCXXV. contineat, ab eodemque Theodoretus ſuam auſpicetur, ut ſuis locis evidenter oſtendam, Principatus, de quo loquitur Theodoretus, alius eſse non poteſt, quam ejus Monarchia, quae ideò anno CCCXXV. incboata fuit. Praeterea anno CCCXXV. Auctor Chronici Alexandrini ſcribit:* Eodem anno Conſtantinus Imperator totius Imperii Romani ſolus omnia ubique Idola dejecit. *Ab hac Monarchia aliqui Conſtantiniani Imperii annos numerant, uti Nicaetus, Seidus, Graecus Schiſmaticus, qui de Patriarchatus Conſtantinopolitani Inſtitutione loquens, inquit:* Tum demum omnium poſtremus Thronus Conſtantinopolitanus inſtituitur anno II. Imperii Magni Conſtantini, *ideſt*

Anno

anno Chriſti CCCXXVI. Seidus enim, & alii quidam Graeci Conſtantinopolitanum Patriarchatum paulo poſt Concilii Nicaeni celebrationem inſtitutum eſse perſuaſum habent. Idem Auctor (a) vulgarem detegit errorem Baronii, & aliorum, qui eum ſequuti ſunt, cum aſſerere non dubitaverint triginta ſex Epiſcopos factionis Euſebianae in Antiochena Synodo fuiſſe, qui Athanaſium depoſuerunt, & Gregorium Alexandrinum ſalutarunt Epiſcopum: *Caeterum crediderunt hactenus eruditi ex loco Julii Pontificis triginta ſex Euſebianae factionis Epiſcopos huic Concilio adfuiſse, cum ſcriptum reliquerit in ſua ad Euſebianos epiſtola:* Qui igitur ſunt, qui contra Canones agunt? nonne qui cum tantis rerum documentis virum recepimus? an qui ſolùm ad triginta ſex ſuffragia eorum, qui Antiochiae fuere, externum hominem ſalutarunt? *Hinc Baronius deducit ex tanto Epiſcoporum numero nonniſi triginta ſex impia illa decreta ſanxiſſe. Idem poſt Baronium Petavius lib. 13. de Doct. temp. Petrus de Marca loco citato, aliique innumeri ſcripſere. Verùm huic vulgari errori occurrit Valeſius tom. 2. obſervationum in Socratem, & Sozomenum cap. 8., & ipſum Julii Pontificis locum depravatum fuiſse*

(a) Anno Chriſti 341. num. 9.

animadvertit. Haec verba *Julii Papae ad Orientales*: σκοπεῖτε τοίνυν τίνες εἰσὶν οἱ παρὰ κανόνας πράξαντες. ἡμεῖς δ' οἱ μετ' τοσούτων ἀποδείξεων τὸν ἄνδρα δεξάμενοι ἢ οἱ ἀπὸ τριάκοντα καὶ ἓξ μονῶν ἐν Ἀντιοχείᾳ ὀνομάσαντες τινὰ ὡς ἐπίσκοπον ξένον καὶ ἀποστείλαντες εἰς ἀλεξάνδρειαν μετὰ στρατιωτικῆς ἐξουσίας: *ideſt, inquit Valeſius*: Qui igitur ſunt, qui contra Canones agunt? Noſne qui cum tantis rerum documentis virum recepimus? An qui a triginta ſex manſionibus Antiochiae quendam velut Epiſcopum externum hominem ſalutarunt, eumque militari manu ſtipatum Alexandriam miſerunt? *Ex qua accurata verſione apparct Nanium malè hoc modo vertiſse*: Ad triginta ſex ſuffragia Epiſcopum ſalutarunt: *indeq; viros doctos LINGUA GRAECA NON CONSULTA perperam deduxiſse triginta ſex tantum Euſebianos Antiochiae congregatos Athanaſium depoſuiſse, & Gregoriū externum hominem in locum ejus ſuffectum ibidem, ut Epiſcopum Alexandrinum ſalutaſse. Reprehendit itaque Julius Papa, inquit Valeſius, ordinationem Gregorii, eumque contra Canones Eccleſiaſticos Alexandriae Epiſcopum factum eſse aſserit, qui non in urbe Alexandrina ordinatus fuiſset, ſuffragante Clero, & populo, ſed in urbe Antiochia, quae triginta ſex manſionibus, ideſt triginta ſex dierum itinere diſtat ab urbe Alexandria. Idem quoque vitium in ordinatione Georgii obſervat* Atha-

Athanaſius in epiſtola ad ſolitarios pag. 860., *qui a quinquageſima manſione miſſus eſt Alexandriam, ut Epiſcopatum illius loco gereret. Sed & in oratione prima adverſus Arianos idipſum objicit Athanaſius Arianis Epiſcopis, Cecropio ſcilicet, Auxentio, & Epitecto, quod, licet octoginta manſionibus diſſiti, Epiſcopatum tamen ambierint earum urbium, quibus ignoti erant. Igitur prava interpretatio Baronium in errorem induxit. Ita vir doctiſſimus emendat errorem interpretis incautè confundentis vocem Graecam* μονῶν ἀπὸ τῆς μονῆς, *quae* manſionem *ſignificat cum* μονῶν, *quae vox a* μόνος *derivata* ſolum *deſignat*. His duobus exemplis, quae duplicem denotant errorem, temporis nempe, & perſonarum, infinita, quae errores indicant locorum, rerum, actionum, & id genus alios, ſubjicere poſſem; ſed cum his affluant magis accurati critici, iis propterea ſuperſedeo.

XLVI. Ad Poëſim accedo. Virgilium, alioſque Poëtas Latinos, Homeri, aliorumque Graecorum imitatores fuiſſe; Dantem autem, Petrarcham, Arioſtum, Taſſumque illorum omnium veſtigiis inſtitiſſe, jam notum, & evulgatum eſt. Cunctorum verò virtutes, vel vitia ſine Graecarum litterarum peritia, quis dimetietur? Et revera dent nobis Poë- — XLVI. Quantum ad Poeſim.

 tam,

tam, qui omni prorſus Graecae linguae cognitione deſtitutus ſit: quid unquam arbitramur dicturum, ſi in tot Latinorum Poëtarum loca incidat, quae Graecis ſimillima Latinae Proſodiae regulis, uti ſupra (a) demonſtratum eſt, omnino opponuntur? ut in illa Virgilii (b):

Ferte citi ferrum, date tela, ſcandite muros.

Silii (c)

Immane ſtridens agitur &c.

Aut Juvenalis (d)

Occulta ſpolia, & plures de pace triumphos.

Quid ſi in haec Virgilii? (e)

Inſulae Jonio in magno, quas dira Celeno.

(f) *Victor apud rapidum Simoenta ſub Ilio alto.*

Et in hunc locum ejuſdem Auctoris (g);

Liminaque, Lauruſque Dei, totuſque moveri,

Aut in illum Juvenalis (h)

Et animum, & mentem cum qua Dii nocte loquuntur?

Quid ſi poſt quatuor primos pedes ſyllabam brevem, ut dictum eſt, productam inveniat? Poſt primum ſic Virgilius

Pe-

(a) §. VII. (b) Virg. Aeneid. lib. 9.
(c) Silius lib. 9. (d) Juven. ſat. 8.
(e) Virg. Aeneid. 3. (f) Idem 5. Aeneid.
(g) Idem 3. (h) Juven. ſat. 6.

(a) *Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta*;

& Juvenalis

(b) *Quis neſcit, aut quis non vidit vulnera pali*;

& Martialis

(c) *Meque ſinus omnis, me manus omnis habet*

Poſt ſecundum

Virgilius

(d) *Noſtrorum obruimur, oriturque miſerrima caedes*

(e) *Emicat Eurialus, & munere victor amici*

(f) *Nam tibi, Tymbre, caput Evandrius abſtulit enſis,*

& Martialis

(g) *Det tunicam: dives ego te praecingere poſſum*

Poſt tertium

Virgilius

(h) *Oſtentans artem pariter, arcumque ſonantem.*

(i) *Dona dehinc auro gravia, ſectoque Elephanto.*

(l) *Congredior fer ſacra Pater, & concipe foedus*;

&

(a) Virgil. 4. Aeneid. (b) Juven. ſat. 6. (c) Mart. lib. 6. (d) Virgil. 2. Aeneid. (e) Idem 5. (f) Idem 10. (g) Martial. lib. 14. (h) Virgil. Aeneid. 5. (i) Idem 3. (l) Idem 12.

& Statius

(a) *Nequa det indignos Thetidi captiva nepotes*

Poſt quartum

Virgilius

(b) *Muneribus tibi pampineo gravidus autumno*

(c) *Grajus homo infectos linquens profugus hymeneos*

(d) *Ille latus niveum molli fultus hyacintho.*

Quid tandem ſi hos Ennii verſus, eliſa littera S, legat

(e) *Doctus, fidelis, ſuavis homo, facundus, ſuoque*
Contentus, atque beatus, ſcitus, ſecunda loquens in
Tempore:

& illum Ciceronis in Aratum huc pertinentem

Delphinus jacet haud nimio luſtratus nitore?

Nondum tamen omnia recenſui, quae occurrere poſſunt Poëtae difficiliora explicatu. Dicta enim ad ſolam ſyllabarum dimenſionem pertinent, ſuperſunt verò, quae ad phraſim. Legat igitur Lyricorum Princi-

(a) Stat. Ach. 2. (b) Virgil. 2. Georg.
(c) Idem Aeneid. 10. (d) Idem Eclog. 6.
(e) Ennius Ann. 7.

cipem Horatium, & qua ratione conſtent illa: *Abſtine irarum, calidaeque riuae: Agreſtium regnavit populorum: Et morbi miror purgatum te illius*; hiſque ſimilia, quae in hoc Auctore ſparſa ſunt, reſpondeat. Legat Terentium (a) ubi ait: *Scelus quemnam hic laudat*? & rurſus: *Ubi illic eſt ſcelus, qui me perdidit*. Legat Plautum (b): *Atque ego te faciam, ut miſer ſis*. Et (c): *Satis ſi hanc hodie mulierem efficis, ut tua ſit*. Et (d): *Nimis hercle illum Corvum ad me veniat, velim*. Legat caeteros omnes, qui in uſurpandis iſtiuſmodi loquendi modis frequentes ſunt. Peto quid inquiet, quid illi videbitur, quodnam de his locis judicium feret? Haerebit profectò, fluctuabitque, dum, qua ratione ſibi conſtet oratio, haud intelliget.

XLVII. Multum praeterea ex linguae, imo ipſius Grammatices Graecae cognitione ad omnem eruditionem, ac doctrinam utiliſſimae, & perquam neceſſariae, commodum, & utilitas accedit illi arti, quam vocant Criticam: quod Mauſacus his egregiè explicat verbis (e): *Denique tanto in pretio habita fuit haec nobiliſſima pars Grammaticae* (Critica) *ut omnium ſcientiarum ſoli-* **XLVII. Ad Artem Criticam.**

(a) Terent. in Andr. (b) Plaut. Amph.
(c) Idem Beud. (d) Idem Aulul.
(e) Mauſac. Diſſert. Critic. de Harpocrat. pag. 398.

ſolidiſſimum fundamentum, quorumlibet ſcriptorum βάσανος dicta ſit. Non enim tantum immorata eſt, ut ab initio, in ſecernendis, & diſtinguendis antiquorum, & recentiorum operibus legitimis, ac ſpuriis, ſtilorum, ac characterum diſſimilitudine dignoſcenda; ſed & modum, ac normam tradidit, qua, quae apud Auctores corrupta, & non ſana reperiuntur, divinitus reſtituere, quaeque obſcura videntur, nec percipi poſsunt, enarrare, ac illuſtrare, docuit. Unde tot, tantique orti ſunt in illa aemuli, tot praeclariſſimi heroës, qui hanc naſcentibus ſaeculis excoluere . . . . . Tandem ut quae de ejus laudibus mihi dicenda propoſui, in pauca contraham: haec unica eſt, quae culta efficit ingenia, quae ad Polymathiam nos manu prehenſos rectà ducit, viamque nobis parat, ac greſsus dirigit ad omnes ſcientias perfectè, & ſolidè acquirendas. Nam amabò te quomodo ſperas in magnum Philoſophum evaſurum, niſi Critica prius imbutus fueris, & Criticorum veſtigiis inhaeſeris, ſemperque inhaerendi animum habeas? Quibus addo: quomodo quis ſe in magnum Criticum evaſurum ſperabit, niſi litteris antea Graecis inſtructus fuerit? Et pergo cum Mauſacco: *Quis, te unica excepta Critica docebit tot Ariſtotelis, quem unicum amplecti debes, in ſtudio ſapientiae, libris, natalium controverſiam fuiſse motam?*

Quis

Quis monebit περὶ ἑρμηνείας *librum ex quorundam opinione ad illum non pertinere? Andronicus, Auctore Ammonio, in hac haereſi fuit. Quis apud antiquos dubitatum fuiſse, an primum* κατηγοριῶν *Ariſtotelis eſset, quod patet ex Olympiodoro? Quis* περὶ ἀτόμων γραμμῶν *librum quoſdam Theophraſto tribuiſse, qui tamen Ariſtoteli aſſignatur, ut Simplicius in tertio de Coelo? Quis Ethica ad Nichomachum non Ariſtotelis, ſed Nichomachi ejus filii eſse, ut Cicero 5. de Finibus? Quis libros de Rethorica ambiguos eſse, quod teſtari videtur Quintilianus cum ait:* Non diſſentit Theodectes, ſive ipſius id opus ſit, quod de Rhetorica nomine ejus inſcribitur, ſive ut creditum eſt, Ariſtotelis? *Quis ex tribus de Anima libris, qui hodie vulgo extant, & in ſcholis praeleguntur, unicum tantùm ab antiquis cognitum fuiſse, quod nos docet Diogenes Laertius in Ariſtotele? Quis praeterea Platonis dialogum, qui inſcribitur AXIOCUS ſpurium, & Aeſchini Socratico tribuendum eſse, niſi divinae Critices auxilio hoc in ſcriptis ſuis retuliſset Harpocration voce* Ἀξίοχοι, *& poſtea ex illo repetiiſsent Suidas, & qui ſubſequuti ſunt omnes?* Haec omnia, & reliqua, quae de Critices utilitate affert, litterarum Graecarum laudi rurſus conveniunt. Qui enim percupit fi-

nem, illi media itidem quaerenda, & percupienda ſunt. Artis etiam Critices originem ad Graecos ipſos referendam eſſe ne dubitaveris (a): *Quam ſtatim amplexi ſunt magni viri Ariſtophanes, Eratoſthenes, Apollodorus Cumaeus; primus enim Critici nomen ambivit Apollodorus hic, ut opinantur quidam, at, ut alii exiſtimant, Eratoſthenes. Clemens Alexandrinus* (b): Ἀπολλόδωρος δὲ Κυμαῖος πρῶτος τῷ κριτικοῦ εἰσηγήσατο ὄνομα, καὶ γραμματικὸς προσηγορεύθη, ἔνιοι δὲ Ἐρατοσθένη τὸν Κυρηναῖον φασὶν, ἐπειδὴ ἐξέδωκεν οὗτος βιβλία δύο γραμματικὰ ἐπιγράψας, ὠνομάσθη δὲ γραμματικὸς ὡς νῦν ὀνομάζομεν, πρῶτος Πραξιφάνης Διονυσοφάνους Μιτυληναῖος. *Antequam enim Grammatici vocarentur, Criticos dictos fuiſse omnes illos Auctores docuit me Dio Chryſoſtomus orat. de Homero* 53. οἱ δὲ (*ait*) αὐτὸ τοῦτο τὴν διάνοιαν ἐξηγούμενα, οὐ μόνον Ἀρίσταρχος, καὶ Κράτης, καὶ ἕτεροι πλείους τῶν ὕστερον γραμματικῶν κληθέντων, πρότερον δὲ κριτικῶν. *Refert idem Auctor paulo poſt Criticam, & Grammaticam ab Ariſtotele originem duxiſse &c.* Itaut fateri neceſſe ſit, quod licet recentiores vincant veteres arte Critica, id tamen Graecorum ope, illorumque principiis, ac fundamentis inhaerentes aſſequuti ſint, nec quidquam ſine illis agere poſſint, nec potuerint.

XLVIII.

(a) Ibid.
(b) Stromat. primo.

XLVIII. In alias interim artes, & ſcientias nequaquam progrediar, ne volumen potius, quàm meram diſſertationem efficiam. Indubitatum tamen eſt, praeſtò eſſe utilitatem, quam affert Graeca lingua illarum omnium ſtudioſis. Sanè quàm juvat grammaticum hoc idioma? Ut enim ſciat quando littera Y, aut duplicibus Ph, & Ch, aut quibus diphtongis utendum ſit ad bene, recteque ſcribendum, nonne illum oportet ad Graeca priùs reſpicere? Laborioſum nimis, & turpe eſſet, toties adire Lexica, quoties occurrunt Graecae voces hujuſmodi Latinae factae. Praeterea ſi apud veteres Latinos Scriptores inveniat verba diphtongis Graecis compoſita, ut diximus ſupra (a), ea nunquam, niſi Graecam calleat linguam, intelligere, nedum legere poterit. En ut Naevius, teſte L. Calpurnio (b), ſuum opus de bello Punico orſus eſt: XLVIII. Ad caeteras diſciplinas.

Qui terrai latiai (vel latiei) hemones tuſerunt

Vires fradeſque Poinicas fabor.

Si in hunc igitur locum incidat, quem nobis reſtituit Guil. Merula in erudito ad Ennium commentario, quid ipſi videbitur, niſi Graecas eſſe diphtongos illas noverit? Quamobrem utilis valde Graecae linguae

(a) §. VII.
(b) L. Calpurn. lib. de Continentia poet.

cognitio iis etiam erit, qui eruditiſſimo lapidum, inſcriptionum, ac toreumatum ſtudio ſe dedunt. Hujus enim ope intelligent, quid ſibi velint illa CAISAR, AIRA, aliaque hujuſmodi, quae in antiquis monumentis reperiuntur, ut ex hac inſcriptione (c) patet

NERONI. CLAUD. CAIS
AUG. PONT. MAX
OB. PROVINC. LATRONIB
ET. HIS. QUI. NOVAM
GENERI. HUM. SUPER
STITION. INCULCAB
PURGATAM.

Praeſtò quoque eſt utilitas, quam percipit e Graeca lingua Moralis Philoſophus, quippe Philoſophia morum non in libris ſolum Platonis, Ariſtotelis, Plutarchi, aliorumque Graecorum, verum etiam in Poetis continetur, ac potiſſimum in Gnomidis ita dictis a Graecis, quia crebris ſcatent ſententiis, ut eſt Theognides, Callimachus, Symonides, Solo, Tyrtaeus, aliique quamplures. Aequè etiam patet utilitas, quaè in Philoſophum Naturalem, Medicum, ac Mathematicum a Graeca lingua derivari poteſt; nam praeter ingentem graecarum vocum numerum, quibus utitur lingua Medica,

(a) Ex inſcript.antiq.illuſtrior. de Caeſar. Svetonian.

dica, & affluunt caeterae artes iſtae, ut clarius infra oſtendetur, quum Arabes, dum eorum imperium dilatabatur, in propriam linguam Graecos verterint iſtarum Artium auctores, licet ſemibarbarè, quos ex Arabo in Latinum verſos nunc habemus, maniſeſtò apparet, quàm diſciplinarum omnium, & artium liberalium profeſſores indigeant Graeca lingua, ut ad Graecos textus ſe conferre, eorumque interpretationes emendare valeant; quod egregiè obſervat Heurnius (a) atque ex ſequentibus vocibus deprehenditur: *Alchimia*, & *Alchimiſta* quae ex graecis χυμεία, & χυμίςυς addito articulo Arabo *Al* proficiſcuntur. Sic *Alembic* ab Ἄμβιξ, *Almenichia*, ideſt, *Calendarium* a μανακὸν, & *Almegeſte*, quod eſt nomen libri Ptolomaei a Graeco ἡ μέγιςη πραγματεία, *magna ſcilicet conſtructio*. Huc etiam reſpexit Chriſtophorus Clavius (b), qui dum loquitur de Raphaële Volaterrano, a quo ex Arabo Euclides verſus eſt, eum arguit: *Quod ſequutus in omnibus ſit traditionem Arabum, qui magna ex parte Euclidis ordinem, & methodum perverterunt, verbaque propoſitionum ejuſdem locis non paucis immutarunt; ut verus, germanuſque Auctoris ſenſus difficilè poſſit intelligi*. Innumera igi-

(a) Heurn. in Diſ. de ſtud. medic.
(b) Chriſtoph. Clav. in praef. ad Euclid.

igitur commoda hi omnes, ac potiſſimum Medicorum docta cohors, Hippocratis, Galenique, vel Empiricorum diſcipuli Graecis litteris conſequuntur; quod quam probè noverit Joannes Benedictus in Academia Salmurienſi linguae Graecae profeſſor, atque Medicinae doctor, manifeſtò apparet ex epiſtolà nuncupatoria ante egregios in Pindarum commentarios ſuos, in qua alloquitur Medicinam, veniamque petit, quòd laborum primitias Graecae dederit linguae (a): *Tui gratia equidem, o Medicina, ad quam a natura ſum comparatus, Graecas litteras ab ineunte aetate colui: Tui in gratiam eaſdem ea procedente σὺν θεῷ colere pergam . . . . . . Jam quidem Humanitati debitas primitias exſolvi; reſtit, ut OPTIMORUM veſtigia ſequens reliquam meſſem Medicinae tribuam.* Sed cum validius fortaſſe argumentum, quod hujus linguae utilitatem comprobat, eruatur, ut nuperrimè, ex ingenti vocabulorum e Graeca lingua depromptorum acervo, quae ſibi, ut ita dicam, propriam linguam efficiunt, de his propterea aliquid adſtruendum.

XLIX. **De Vocabulorum technicorum e Graeca lingua effictorum**

XLIX. Vocabula igitur, & haec numero penè infinita mutuati ſunt a Graecis Latini, idque manifeſtum ſe reddit unicuique qualemcunque ſcientiam profitenti,

---

(a) Edit. Salmurien. Anno 1620. ad Heroardum Archiatrῶν Comitem epiſt.

ti. Quot enim Grammatica, quot Philoſophia, ac Medicina, quot diſciplinae Mathematicae, ac reliquae artes omnes, & ſcientiae Graecis non abundant dictionibus? Sciunt hoc profectò magiſtri artium, ſcientiarumque, qui ſaepiſſimè in Graecas voces incidentes, illarum etymologiam praebere coguntur, ut, de quo agitur, intelligant tyrones. Solius autem Ciceronis, ut de aliis reticeam, quot non invenimus dictiones Graecas, quibus uſus eſt, quaſi aut planè Latinis, aut certò communibus, & quod fortaſſe miremur, in Orationibus, libriſque oratoriis? En quot afferre poteſt diligens quidem, ſed non accuratior hujus Auctoris lectio: *Syngraphe*, *Chirographum*, *Xyſtus*, *Acroama*, *Diploma*, *Bibliotheca*, *Hypodidaſcalus*, *Periſtroma*, *Emblema*, *Exedra*, *Collybus*, *Dica*, *Gaza*, *Gynaeceum*, *Pſeudothyrum*. Verùm a Graecis non deſumſere ſolum voces Latini, quales ſe habent in Graeca lingua, cujuſmodi ſunt allatae, ſed proprias etiam efficere conati ſunt. Id autem factum eſt aut per Hyperbaton litterarum, ut a μόρφα forma, ab ἅρπαξ rapax; aut per immutationem, ut a φὼρ fur, a νὺξ nox, a διφάσιος, & τριφάσιος bifarius, & trifarius, aut per additionem, ut ab ἓξ ſex, ab ἕρπυλλον ſerpyllum, a καχλὼν cachinnus, aut tandem per diminutionem, ut ab ἁμιλλῶμαι aemulor, a προνεύω pronus,

rum mira per omnes artes, & ſcientias copia, utilitateque.

&

& ita de caeteris. Et quis neſcit Quintilianū quoque, quum ei deſunt Latinae artis vocabula Graecis reſpondentia, Graeca ipſa ſufficere, ut magis aptè, ſcitèque animi ſenſus explicet? Ut verbo expediam uno; lingua Graeca eſt ſcientiarum, & artium liberaliorum vehiculum, multiſque pollet praerogativis ad exprimendas rerum notiones, qualitateſque, temporum, modorumque varietatem, quibus Latina quodammodo ipſa lingua, vernaculae autem hodiernae omnino carent. Facit huc Baconi de Verulamio ſententia tam concinnè, ut praetermittere eam nequeam (a): *Annon & illud obſervatione dignum (licet nobis modernis ſpiritus nonnihil retundat) antiquas linguas* (certè prae caeteris Graecam intelligit, quae tot abundat aoriſtis, futuris, totque tempora, modos, & perſonas exprimendi rationibus) *plenas declinationum, caſuum, conjugationum, temporum, & ſimilium fuiſſe: modernas, his ferè deſtitutas, plurima per praepoſitiones, & verba auxiliaria ſegniter expedire? Sanè facilè quis conjiciat (utcunque nobis ipſi placeamus) ingenia priorum ſeculorum noſtris fuiſſe multò acutiora, & ſubtiliora.* Neque minus illam tangit ſingularem Graecae linguae praerogativam, crean-

(a) Baconi de Verul. Augm. ſcient. lib. 6. c. 1.

creandi ſcilicet perquam commoda artium vocabula, quae vocant technica (a): *Quid illud, quod Graeci in compoſitionibus verborum tanta licentia uſi ſunt, Romani contrà magnam in hac re ſeveritatem adhibuere? Planè colligat quis Graecos fuiſse artibus, Romanos rebus gerendis magis idoneos. Artium enim diſtinctiones verborum compoſitionem ferè exigunt; at res, & negotia ſimpliciora verba poſtulant.* Quamobrem hercle dixeris clavem ſcientiarum hanc linguam. Graeca enim vocabula, &. nomina diſciplinarum, artiumque nolenti etiam oſtendunt naturam, eſſentiamque artium, & praeſeferunt non modo objectum illarum, ſed propemodum definitiones; ita ut gnari illius hoc utantur jure praerogativae, ut revocatis in memoriam ſolis diſciplinarum, rerumque illis ſubordinatarum nominibus, illico cogitatione percipiant res ipſas, earumque eſſentiam; cum caeteri rerum definitiones per verborum Latinorum ambages, & circuitiones factas, animo ante repetere, aut de integro ediſcere opus habeant. Taedium parerem, ſi exempla afferrem. His abundant Inſtitutiones Artis Grammaticae, Rhetorices, Dialectices, Phyſices, & Matheſeos, atq; omnium diſciplina-

(a) Idem ibid.

rum Lexica, & artium ſingularium: Matheſeos, ut Ozanani; Medicinae, ut Caſtelli, Raveſtenii, & Brunfelſii; Eruditionis Sacrae, ut Nicolai Martierii; Philoſophiae, ut Rodulphi Godeni. Artium denique, & ſcientiarum omnium Dictionarium Academiae Pariſiorum id quoque patefacit, ut nil ſupra.

L. De ſumma Graecae linguae, & eruditionis utilitate ad rectam ineundam imitationem antiquorum optimorum.

L. Verùm ut redeamus, unde ſermo digreſſus eſt, hoc eſt ad utilitatem, quae paratur ex Graecis litteris ad praeclarum quidquid inveniendum, aut de inventis rectè judicandum, optimum apprimè judicamus eum, qui quam proximè ad optimos accedit Auctores. Eos verò ad illos magis accedere putamus, qui feliciùs illos imitantur. Quàm autem ad rectam optimorum Latinorum imitationem ineundam conferat lectio Graecorum Auctorum, docemur à Quintiliano. Ipſe enim novello Oratori in perlegendis Graecis Auctoribus multum ſtudii, atque operae inſumendum praecipit, quinimo ſingillatim enumerat quos ipſe Graecorum legendos putat (a): *Sed nunc genera ipſa lectionum, quae praecipuè convenire intendentibus, ut Oratores fiant, exiſtimem, perſequar*. Non Demoſthenem vero ſolum, qui ab ipſo dicitur

(a)

(a) Quintil. lib. 10. c. 1.

Oratorum (a) *longè Princeps, ac pene lex orandi*, legi vult, atque ediſci: *Cum Demoſthenem in primis legendum, vel ediſcendum potius putem*; ſed & Poëtas, ac prae omnibus Homerum (b): *Ut Aratus ab Jove incipiendum putat, ita & nos rite coepturi ab Homero videmur*: & deinceps Heſiodum Sophoclem, Euripidem, Pindarum, Theocritum, caeteroſque. Poetis autem Hiſtoricos ſubjungit, cunctiſque Thucydidem, & Herodotum anteponit (c): *Hiſtoriam multi ſcripſere praeclarè; ſed nemo dubitat duos longè caeteris praeferendos, quorum diverſa virtus laudem pene eſt parem conſecuta. Denſius, & brevis, & ſemper inſtans ſibi Thucydides: dulcis, & candidus, & fuſus Herodotus.* Philoſophos tandem nequaquam praetereundos autumat (d): *A Philoſophorum vero lectione, ut eſsent nobis multa petenda, vitio factum eſt Oratorum, qui quidem illis optima ſui operis parte ceſserunt.* Ubi animadvertendum, ita loquutum Quintilianum, quia Socrates dicendi artem a Philoſophia diſjunxerat, quum antea unà pertractarentur, ut refert Cicero (e): *Nanque (ut ante dixi) veteres illi uſque ad Socratem omnem omnium rerum quae ad mores homi-*

 num,

(a) Ibid. (b) Ibid. (c) Ibid.
(d) Ibid. (e) Cic. lib. 3. de Orat.

num , quae ad vitam , quae ad virtutem , quae ad Rempublicam pertinebant cognitionem, & ſcientiam , cum dicendi ratione jungebant . Poſtea diſsociati (ut expoſui) a Socrate , diſerti a doctis , & deinceps a Socraticis item omnibus , Philoſophi eloquentiam deſpexerunt , Oratores ſapientiam . Poſtquam autem oſtendit Quintilianus , qui maxime Auctores Graeci legendi ſint , pergit utilitates , & commoda explicare , quae ab hiſce omnibus , & primò ab Oratoribus percipi poſſunt (a) : *Illuc intendenda mens , quantum fuerit illis viris decoris in rebus , atque perſonis , quod conſilium , quae diſpoſitio , quàm omnia etiam , quae delectationi videantur data , ad victoriam ſpectent ; Quid agatur proemio , quae ratio , & quam varia narrandi , quae vis probandi , ac refellendi , quanta in affectibus omnis generis movendis ſcientia .* Et ſane ipſe ſentit ad ſummum eloquentiae apicem aſſurgere Ciceronem unius exemplo Demoſthenis (b): *Ille* (Demoſthenes) *. . . ex magna parte Ciceronem , quantus eſt , fecit .* Quanto autem adjumento ſit Poetarum lectio , ac potiſſimum Homeri , manifeſtò ſic declarat (c) : *Hinc enim (quemadmodum ex Oceano dicit ipſe* (Homerus) *amnium vim , fontiumque curſus ini-*

(a) Lib. 10. c. 2. (b) Lib. 10. c. 1.
(c) Ibid.

initium capere) omnibus eloquentiae partibus exemplum , & ortum dedit . Hunc nemo in magnis ſublimitate , in parvis proprietate ſuperaverit . Idem laetus , ac preſſus , jucundus , & gravis , tum copia , tum brevitate mirabilis , nec poetica modo , ſed oratoria virtute eminentiſſimus . Nam ut de laudibus , exhortationibus , conſolationibus taceam , nonne vel nonus liber , quo miſſa ad Achillem legatio continetur , vel in primo inter duces illa contentio , vel dictae in ſecundo ſententiae , omnes litium , ac conſiliorum explicant artes ? Affectus quidem vel illos mites , vel hos concitatos, nemo erit tam indoctus , qui non in ſua poteſtate hunc Auctorem habuiſſe fateatur . Age vero , nonne in utriuſque ſui operis ingreſſu pauciſſimis verſibus legem prooemiorum non dico ſervavit , ſed conſtituit ? Nam & benevolum auditorem invocatione Dearum , quas praeſidere vatibus creditum eſt , & intentum propoſita rerum magnitudine , & docilem ſumma celeriter comprehenſa facit . Narrare verò quis breviùs , quàm qui mortem nunciat Patrocli , quis ſignificantiùs poteſt , quàm qui Curetum , Aetolorumque praelium exponit ? Jam ſimilitudines , amplificationes , exempla , digreſſus , ſigna rerum , & argumenta , caeteraque probandi , ac refutandi , ſunt ita multa , ut etiam qui de artibus ſcripſerunt plurima earum rerum teſtimonia ab hoc Poëta petant .

Nam

Nam epilogus quidem quis unquam poterit illis Priami rogantis Achillem precibus aequari? Quid? In verbis, ſententiis, figuris, diſpoſitione totius operis, nonne humani ingenii modum excedit? Ut magni ſit viri, virtutes ejus non aemulatione (quod fieri non poteſt) ſed intellectu ſequi. Utilem quoque Hiſtoricorum lectionem arbitratur Quintilianus, nam, ut ait (a): *Hiſtoria quoque alere orationem quodam molli, jucundoque ſucco poteſt*; & rerum, exemplorumque copiam ſuppeditare, ut addit inferius: *Eſt & alius ex Hiſtoricis uſus, & is quidem maximus . . . . ex cognitione rerum, exemplorumque, quibus in primis inſtructus eſſe debet Orator*. Haec autem exempla quantum apta ſint ad exornandas non modò proſas, & verſus, ſed ad imbuendos animos utilibus ſententiis, ac regulis, quae ad bene, beatèque vivendum conferunt, nemo non videt; ut tacitas relinquam alias orationis virtutes, quae in narrationibus, & concionibus Hiſtoricorum deprehenduntur. Quod vero de Oratoribus, Poëtis, & Hiſtoricis, idipſum ſentit de Philoſophis, ac praecipuè de Socraticis, qui, ut ipſe docet (b), *de juſtis, honeſtis, utilibus, quaeque ſunt his contraria, & de rebus divinis maximè*

(a) Ibid.
(b) Ibid.

Digitized by Google

mè dicunt, *& argumentatur acriter*, *& altercationibus*, *atque interrogationibus*: quarum rerum cognitio ſi deſit, haud dubitandum, quin & proſae, & verſus futuri ſint (a), *inopes rerum nugaeque canorae*. Verum ex hac ipſa Graecorum lectione alius oritur utilior uſus, & is eſt, quo Latinos cum Graecis, aut Graecos cum Latinis comparamus. Conferentes enim cum Demoſthene Ciceronem, detegimus multas, ut monet Quintilianus (b), ſimiles in iis virtutes: *Conſilium*, *ordinem dividendi*, *praeparandi*, *probandi rationem*, *omnia denique*, *quae ſunt inventionis*: & ut differant poſtea in elocutione, quia *denſior ille*, *hic copioſior*, *ille concludit adſtrictiùs*, *hic latiùs pugnat*, *ille acumine ſemper*, *hic frequenter & pondere*, *illi nihil detrahi poteſt*, *huic nihil adjici*: *curae plus in illo*, *in hoc naturae*. Si cum Homero etiam Virgilius comparetur, videre licebit, quemadmodum Graecus Poëta narrare non incipit Ulyſſis errores a Trojano litore, ſed ab inſula Callypſonis illum ad Phaeaces perducit, ubi in convivio Alcinoi Regis narrat ipſe, utpote de Troja ad Callypſonem uſque pervenerit, ita Virgilium non a fuga Aenae ex Troja exordiri, ſed Aeneam de Sicilia ad Lybiam perducere, ubi

(a) Horat. de Art. Poet.
(b) Quintil. lib.10. c.1.

ubi comiter a Didone convivio exceptus eidem incendium Trojae, & fugam ab ipſa ex ordine enarrat. Itidem ſicut Homerus a Phaeacibus perducit tandem in Ithacam Ulyſſem, ita Virgilius navigationem Aenae in Italiam a Lybicis deſcribit, quae imitatio lineamenta, & typum operis potiſſimùm reſpicit. Facit quoque utriuſque Poëtae collatio ad notandam homoemeriam, quae in utroque Poëmate ineſt: ut dolor Aenae ob mortem Pallantis ſimilis illi Achillis in morte Patrocli, ut altercatio inter Drancen, & Turnum reſpondens illi Achillis, & Agamemnonis, ut ſingulare Aenae, ac Turni certamen conſimile illi Achillis, atque Hectoris, hiſque ſimilia, quae non pauca ſunt. Non parùm etiam conducit pervidere, quae ſint Homeri loca a Virgilio verſa, atque animadvertere, quis illorum vincat, aut vincatur, & quando pares ſint; quae magis homini erudito imitanda, quae vitanda, vel corrigenda etiam. Non afferam verò exempla, cum abundè in quinto Macrobii libro videri poſſint, ubi dum comparat cum Homero Virgilium, praeter hujuſmodi exempla, quae affert, loquitur etiam de ipſius ſententiis ab Homero excerptis, & de nominibus, quae ab Hiſtoricis quibuſdam Graecorum antiquiſſimis deſumſit.

Quae-

Quaedam potius adducam Horatii loca, quae ſunt Graecis ſimillima. Hujus itaque Odes initio (a):

Quem virum, aut heroa lyra, vel acri
Tibia ſumes celebrare Clio?
Quem Deum?

Ad verbum expreſſit illud Pindari (b):

Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι
τίνα θεὸν τίν᾽ ἥρωα
τίνα δ᾽ ἄνδρα κελαδήσομεν;

h. e. ut vertit Henricus Stephanus: *Hymni dominantes citharae, quem Deum, quem heroëm, quem virum celebrabimus?*

Similiter & ſequens (c):

Vides, ut alta ſtet nive candidum
Soracte: nec jam ſuſtineant onus
Silvae laborantes, geluque
Flumina conſtiterint acuto:
Diſſolve frigus &c.

Sumpſit, ut vult Muretus (d), ab his Alcaei verſibus:

(e) Ὕει μὲν ὁ Ζεὺς, ἐν δ᾽ ὠρανῷ μέγας
Χειμὼν. Πεπάγασι δ᾽ ὑδάτων ῥοαὶ
Κάββαλλε τὸν χειμῶν᾽ ἐπὶ μὲν τιθεὶς
Πῦρ ἐν δὲ κίρναις οἶνον ἀφειδέως
Μελιχρὸν.

h. e. *Pluit jupiter: in Coelo vehemens*

O *Sae-*

(a) Horat. Od. 12. lib. 1. (b) Pindar. 2. Od. Olyp.
(c) Horat. Od. 9. ejuſd. lib. (d) Muret. in Horat.
(e) Apud Athenaeum Deipnoſoph. lib. 10.

Saevit tempeſtas : gelatae
Sunt fluentes aquae :
Admoto igne hyemem expugna :
Mellitum vinum largiùs tempera .

His quoque verſibus (a) :

Vir bonus , & ſapiens audebit dicere , Pentheu
Rector Thebarum , quid me perferre , patique
Indignum coges ? adimam bona , nempe pecus , rem ,
Lectos , argentum , tollas licet, in manicis , &
Compedibus ſaevo te ſub cuſtode tenebo .
Ipſe Deus , ſimulatque volam , me ſolvet opinor .

Imitatus eſt Euripidem (b) :

Διο. εἴφ᾽, ὅ, τί παθεῖν δεῖ τί με τὸ δεινὸν ἐργάσῃ ;
Πεν. πρῶτον μὲν ἁβρὸν βόστυχον τεμῶ σέθεν .
Διο. ἱερὸς ὁ πλόμακος τῷ θεῷ δ᾽ αὐτὸν τρέφω .
Πεν. ἔπειτα θύρσον τόνδ᾽ παράδος ἐκ χεροῖν .
Διο. αὐτός μ᾽ ἀφαιροῦ . τόνδε Διονύσου φορῶ .
Πεν. εἱρκταῖσί τ᾽ ἔνδον σῶμα σὸν φυλάξομεν .
Διο. λύσει μ᾽ ὁ δαίμων αὐτὸς ὅταν ἐγὼ θέλω .

h. e. ut vertit Jacobus Lectius :

Bacchus . *Dicat quid oporteat pati me, quod atrox* malum *mihi facies ?*
Pentheus. *Primum quidem delicatum tuum cincinnum abſcindam .*

Bac.

(a) Horat. epiſt. 16. lib. 1.
(b) Euripid. in Bacchis .

Bac. *Sacer* eſt *capillus* iſte. *Deo enim ipſum nutrio.*

Pen. *Deinde thyrſum hunc trade ex manibus.*

Bac. *Ipſe tu mihi eripe*; *hunc* enim datum *a Baccho fero.*

Pen. *Tuumque corpus intus* in *carceribus aſſervabimus.*

Bac. *Solvet me Deus ipſe, cum ego voluero.*

Idem Auctor frequenter rebus, & perſonis epiteta, Graeca ipſa redolentia, apponere ſolet. Sic (a) Corinthum bimarem appellat á Graecó ἀμφιθαλάσσου, quo utitur Homerus, aliique. Vocat ſimiliter Argos aptum equis (b), quod eſt ἵππιον Euripidis in Iphigenia In Tauris; & ἱππόβοτον Theocriti. Vocat dites Mycenas (c), quod eſt πολυχρύσους Sophoclis in Electra. Vocat Lariſſam opimam (d), quod eſt ἐριβώλαξ Homeri. Vocat & Caucaſum inhoſpitalem (e), quod eſt ἀπάνθρωπος Aeſchili; & Lunam vocat Noctilucam (f), quod eſt τὸ νυκτιλαμπής Simonidis apud Dionyſium Halicarnaſſeum; idque de plurimis aliis dicendum. Ab aliis interea Latinis Auctoribus cum Graecis comparandis temperabo, nempe Terentio, Plauto, Lucretio, Ovidio, Propertio, Catullo, Gallo, caeteriſque, cum ſatis ſuperque ſint ea,

 quae

(a) Od. 7. (b) Ibid. (c) Ibid.
(d) Ibid. (e) Od. 22. (f) Od. 6. lib. 4.

quae adhuc attulimus ad oſtendendam utilitatem, quae ex collatione Latinorum cum Graecis colligi poteſt.

LI. Diluitur objectio Graecam nihil prodeſſe linguam Latinitate habentibus pleraque Graecorum ſcripta donata.

LI. Fruſtra itaque quiſquam objiceret, parum, aut nihil ad artes, & ſcientias addiſcendas conducere Graecam linguam, cum optimos quoſque Scriptores Graecos, Latina, atque materna etiam, ſi placet, lingua donatos habeamus. Fateor; Sed antequam Latina, aut alia donarentur lingua Graeca ſcripta, anne in Graeca lingua addiſcenda impenſos meritò fuiſſe labores inficiabuntur? At dicent iterum: Utile quidem fuerit tunc tempus hoc ſtudium, nunc verò cum illa omnia Latina habeamus, quid àliud eſt dedere ſe huic linguae, quàm, ut ajunt, oleum, & operam perdere? Hoc imbecillum illis ſupereſt argumentum, quo ſe, ſuamque opinionem tueri, ac confirmare conantur, quod quidem infringere, & penitus evertere operae pretium eſt.

LII. Negatur, quod cuncta habeamus verſa.

LII. Dum adhuc inter vivos degeret Gherardus Voſſius, ut aliquibus in locis ipſe refert (a), Graeca ſcripta nondum edita, nec Latina facta quibuſdam in Bibliothecis adſervabantur; noſque ipſi quaedam in lucem prodire vidimus cum accuratis interpretationibus, ac notis eruditis, inter

(a) Voſs. de Hiſt. gr.

inter quae procul dubio eminent ANECDOTA eruditiſſimi Viri Ludovici Antonii Muratorii Bibliothecarii Sereniſſimi Ducis Mutinae ex hac Ambroſiana collecta. Egomet audivi a clariſſimo Joſepho Antonio Saxio Ambroſianae Bibliothecario alias quoque nobiles veterum Graecorum exuvias in ipſa cuſtodiri, quemadmodum, & in Medicea Bibliotheca, alibique aliae quoque ſervantur; quod quidem ſolus Joannes Albertus Fabricius illo, quem quotidie pandit, Graecorum praeclariſſimorum ſcriptorum theſauro, ſatis ſuperque oſtendit. Jam verò minimi facientes hanc linguam cogitent quaeſo, quî haec ſcripta verti aliquando, aut ad comprobandam aliquam veritatem opportuna ex iis loca adduci poſſent, ſi cum illis caeteri ſentirent?

LIII. In interpraetationibus ipſis Graeca multa occurrunt.

LIII. Quod attinet ad interpretationes ipſas. Illis utantur, illas tantùm legant per me licet. Quid tum? Nonne in notis appoſitis ab interpretibus multa Graeca adſperſa invenient, quae haud intelligentes, non ſecus ac infantes, quibus ambulantibus manum ſubtrahit genitrix, vacillabunt? Teſtor ingenuos, ac cordatos viros, qui Eruditionis ſtudium ſectantes, non praeeunte illis hujus linguae face, hoc ſibi non ſemel eveniſſe fatebuntur. Quod ſi, quin notas legant, ſoli adhaereant in-

interpretationi, nonne interpreti omnino ſe fidere cogentur, uti caecus illi, a quo ducitur? Atque utinam tanta iſti ſecuritate progrederentur, quanta caeci, qui a duce manu ducuntur. En quid Voſſius (a) de interpretibus, ac praecipuè de quodam ipſorum proferat: *Quidquid autem Procopii ante edita ab Alemanno Anecdota Graecè habemus; hoc debemus Davidi Heſcoëllio, eſtque hoc egregii viri beneficium, eò majus, quod Latini interpretes toties abeant a Graecis: in primis Chriſtophorus Perſona quatuor rerum Gothicarum libros vertit, ſi vertiſse, & non pervertiſse dici is debet, qui multa adeo omittit, & in his, quae refert, toties ſua nobis narrat ſomnia*. Pauciſſimos ſanè invenias interpretes, qui, ut Horatius de Homero, non dormitent quandoque, & dormitantes cadant, ferantque illos ſecum, qui penitus ipſis innituntur.

LIV. Interpretes ſaepe alii ab aliis de eadem re diſſentientes.

LIV. Praeterea quid agat Lector ſtudioſus, ſi inter ſe diſſentire ſaepenumero videat interpretes, aut quia diverſum textum ſequuntur, aut quia eundem variè interpretantur? Sanè centum in locis inter ſe diſcrepant Riccobonus, Sigonius, Majoragius, Muretus, & Victorius dum Ariſtotelis Rhetoricen vertunt, & commentantur.

(a) Voſs. de Hiſt. gr. lib. 2. c. 22.

tantur. Qui Graecum autem neſcit, cum ei diverſae proponantur viae, quam potiſſimum ſequi debeat, incertus eſt: contra verò Graecis litteris doctus ad Graeca exemplaria, & quae meliora ſint, confugere poteſt, ſi a varietate textus oritur controverſia, & niſi evidenter, veriſimiliter tamen pronuntiare; quis verus ſit Auctoris ſenſus, & cui propterea tutò fides praeberi debeat. Si verò idem eſt textus, & varia interpretatio, ad verborum vim attendens, & ſimul collatis, quae antecedunt, cum iis, quae ab Auctore ibidem dicuntur, genuinum Graeci textus ſenſum eruere, & de accuratiori interpretatione judicium ferre, haud operosè poterit. Ut ſemel autem omnia complectar, Graecae linguae cognitio ad evadendum ab hiſce labyrinthis Ariadnaei inſtar fili ſuppetias feret.

LV. Latini etiam, & Graeci ſcriptores inter ſe diſcrepantes.

LV. Verùm non interpretes ſolùm, & qui commentantur, inter ſe pugnant; ſed non rarò etiam veteres Latinos Auctores a Graecis diſcordes invenimus. Sentit Quintilianus (a) Artis Rhetoricae definitionem traditam ab Ariſtotele (b) ex parte deficere, cum elocutionem non comprehendat juxta ipſius opinionem: verba ejus,

(a) Lib. 2. cap. 15.
(b) Cap. 2. lib. 1.

ejus ſunt: *Sicut Ariſtoteles, qui dicit: Rhetoricae eſt vis inveniendi omnia in oratione perſuaſibilia; qui finis & illud vitium, de quo ſupra diximus, habet, & inſuper, quod nihil, niſi inventionem complectatur, quae ſine elocutione non eſt oratio*. Ut autem innoteſcat, an rectè judicaverit Quintilianus, nec ne, Ariſtotelis prius verba ad trutinam revocare neceſſum eſt, ac deinceps inquirendum, an verè ita ſonent, quemadmodum interpretatur Quintilianus. Id a Riccobono factum eſt, qui, ut Ariſtotelem defenderet, valde elaboravit: Comperit enim ipſe illius definitionem, quae ita ſe habet: ἔστω δ' ἡ ῥητορικὴ δύναμις περὶ ἕκαστον τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν: *Sit Rhetorica facultas in quaque re videndi, quod contigit eſſe idoneum ad faciendam fidem*: eundem ſenſum non obtinuiſſe a Quintiliano; quippe vertit ipſe: *Vis inveniendi omnia in oratione perſuaſibilia*: cum Graeca verba δύναμις τοῦ θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανὸν ſignificent: *Vis, ſeu facultas videndi, quod aptum eſt ad faciendam fidem*; quapropter Riccobonus (a) in Quintilianum concludit hoc modo: *Nam* θεωρεῖν, & ἰδεῖν *eſt intueri, & videre, quae appoſita ſunt ad perſuadendum, ut Rhetorica ſit facultas viden-*

(a) Riccobon. Paraphr. in cap. 2. lib. 1. Ariſtot.

dendi, *quod valet ad perſuadendum*, *ideſt quae inventio*, *quae diſpoſitio*, *quae elocutio*, *atque adeo etiam quae memoria*, *&* *quae actio ad perſuadendum accommodata ſit*. Verùm quamvis aliquid intereſſe videatur inter haec duo membra : *invenire quod aptum eſt ad perſuadendum* : *intueri*, *quod aptum eſt ad perſuadendum* : attenta verborum ſignificatione ; revera tamen idem dicunt. Hinc fortaſſe Quintiliani opinio non infringitur, ſi praecipuè expendantur illa verba περὶ ἕκαστον *in quaque re*, quae ſilentio praeterivit Riccobonus ; nam ſi dicatur etiam δύναμις τοῦ θεωρῆσαι *virtus videndi*, ut Graecum ſonat, dum poſtea additur περὶ ἕκαστον *in quaque rè*, non videtur amplius elocutio poſſe in rebus reperiri. Haec interpretum diſſentio oritur interdum ex ipſius textus vel partim deperditi, vel depravati obſcuritate ; interdum ex alterutrius culpa : de quo judicem agere oportet ſcitum lectorem.

LVI. Labuntur igitur interpretes, quia germanum Auctoris ſenſum non aſſequuntur. En ut locus Diogenis Laërtii, dum loquitur de placitis Platonis, cum notis ab Antigono Caryſtio editis, en inquam ut vertitur : *Sunt igitur hujuſmodi notae*, *& hic librorum numerus*, *ut Antigonus Caryſtius in libro*, *quem nuper de Zenone edi-*

LVI. De interpretum allucinationis cauſis.

dit, *refert*. Qui ſequuntur interpretes, ſi haec legant, non aliud exiſtimabunt profectò, quàm Caryſtium hunc vixiſſe circa tempora Diogenis, aut paulo ante, aetate ſcilicet Hadriani, cum Diogenes ſub Hadriani ſucceſſore Antonino Pio, aut paulo poſt floruerit; & ſanè non ita ſe res habet. Siquidem vixit Caryſtius ſub Ptolomaeo Lagida, & Philadelpho, ut Voſſius oſtendit (a). Interpres igitur a Laërtii ſententia recedit: Graecè eſt: τὰ μὲν σημεῖα ταῦτα καὶ τὰ βιβλία τοσαῦτα ἀνήρ (Ἀντιγονός φησὶν ὁ Καρύστιος ἐν τῷ περὶ Ζήνωνος) νυνὶ ἐκδοθέντα εἴ τις ἤθελε ἀναγνῶναι μισθὸν ἐτέλει τοῖς κεκτημένοις: h. e. *Sunt igitur bujuſmodi notae, & tot numero, quae ſcripſit: quae (ut verbis utar Antigoni Caryſtii libro de Zenone) nuper edita, ſi quis cognóſcere voluiſset, mercedem his, eos qui poſſiderent libros, perſolvebat*: ubi clarè patet illud *nuper edita* in Graeco textu referri tantùm ad tempus Caryſtii, quum verba interpretis: *quem nuper edidit*, referantur etiam ad Diogenis tempora. Vel labuntur, quia non omnia, quae faciunt ad eruditionem, in numerato habent. Dionyſius in praefatione ad ſuum opus hiſtoricum citat Hieronymum Auctorem Graecum ἐν τῇ περὶ τῶν ἐπιγόνων πραγ-

(a) Voſs. de Hiſt. Gr. lib. 1. cap. 12.

πραγματείας, huncque titulum ſic Lapus interpretatur : *De ſucceſſione heroicorum Principum* : quum potiùs vertere debuiſſet : *De Partiariis Regni Alexandri* : aut *De Poſteris eorum , qui Alexandri Regnum diviſerunt ,* ut poſt Joſephum Scaligerum in animadverſionibus ad Euſebium egregiè docet Gherardus Voſſius (a) ; quare quàm inepta ſit , ut loquar cum Voſſio , illa Lapi interpretatio , facilè apparet . In hoc eodem loco deceptus eſt Aemilius Portus (b) , qui ſermonem hìc haberi de ſeptem Ducum ad Thebas caeſorum filiis , quos ἐπιγόνους vocari ſcimus ex Apollodoro (c), exiſtimavit ; verùm indicare noluit Dionyſius ἐπιγόνους τῶν ἐπὶ Θήβαις ; h. e. *poſteros eorum , qui ad Thebas caeſi ſunt* , ſed ἐπιγόνους Ἀλεξάνδρου , h. e. *poſteros Alexandri* . Falluntur & aliquando interpretes , quia in iis , de quibus agit Graecus Auctor , non ſatis verſati ſunt , ut tot errores Georgii Trapezuntii , caeteroquin Graecas litteras valde docti, tum in interpretatione Ptolomaei, cùm in commentariis in Theonem, ab Joanne Mullero Regiomontano detecti , ſatis ſuperque comprobant . Falluntur etiam , quia cum duplicem habeat ſignificationem quaepiam Graeca vox , eam non intelligunt ,

 nec ,

(a) Voſſ. de Hiſt. Gr. lib 1. c. 11. (b) Aemil. Portus in not. ad Dionyſ. Halic. (c) Apollodor. lib. 3.

nec, ut par eſt, vertunt. Sanctus Baſilius in octava ad Euſebium Samoſatorum Epiſcopum ita de Evagrio ſcribit, qui Paulino demortuo, in Epiſcopatum Antiochenſem ſucceſſit: ὁ Πρεσβύτερος Εὐάγριος ὁ υἱὸς Πομπειανοῦ τοῦ Ἀντιοχέως, quae verba ab interprete Operum S. Baſilii hoc modo verſa: *Senior Evagrius filius Pompejani Antiocheni*: in errorem induxerunt Baronium, qui credidit alium Evagrium illo juniorem eodem tempore vixiſſe, quum alioquin, ſi ea rectè interpretemur, ſonent: *Presbyter Evagrius filius Pompejani Antiocheni*. Quapropter Bollandus (a) Baronium ab interprete deceptum fuiſſe judicat. Interdum verò in errorem trahuntur, non ſubintellecto in Graeco Auctore quopiam verbo, quod ſubintelligi debuiſſet, uti contigit Interpreti Theophanis, qui haec verba: Θεοφάνους τοῦ Ισαακίου βίος, ita reddidit: *Theophanis, qui & Iſacius dictus eſt, vita*: quum vertere debuiſſet: *Theophanis Iſacii filii vita*: ſubintellecto υἱοῦ, quod Graeci praetermittunt more ipſis uſitato. Haud rarò autem ob anomalas locutiones, quas habet Graeca lingua, quaſque interpretes in eorum interpretationibus retinent, occurrunt loca, quae ignaris Graecae linguae haud parum

rum

(a) Bolland. in Act. Sanct. XVII. Januar. in Vit. S. Antonii §. 9.

rum morae, atque impedimenti injiciunt. Hujuſmodi eſt ſequens Homeri (a)

Φημὶ γὰρ ὖν κατανεῦσαι ὑπερμενέα Κρονίωνα
Ἤματι τῷ, ὅτε νηυσὶν ἐπ' ὠκυπόροισιν ἔβαινον
Ἀργεῖοι Τρώεσσι φόνον καὶ κῆρα φέροντες
Ἀστράπτων ἐπὶ δέξι', ἐναίσιμα σήματα φαίνων.

Dico enim verò annuiſse praepotentem Saturnium:
Eo die, quo naves conſcenderent
Argivi, caedem, & mortem Trojanis inferentes,
Fulgurans dextera, fauſta ſigna oſtendens.

Ubi, cum in primo verſu ab accuſativo *praepotentem Saturnium* incoeperit, deſinit in quarto cum nominativo *fulgurans*, & *oſtendens*, tametſi non aptè cohaereant. Licentiis verò poëticis Homerica haec elocutio non eſt adſcribenda, cum & in iis, qui ſoluta oratione ſcribunt, plura hujuſmodi exempla habeamus. Polyaenus enim ſic habet (b): Θεόπομπος πόλιν ἄστυ ἔρημον: *Theopompus urbem vacuam coepit*: καὶ κατόπιν ἐμβάλλουσι τοῖς Μεσσηνίοις: *& a tergo invadunt Meſſenios*. Caſaubonus addit in Aeliani ſcriptis oppidò quàm elegantibus haud rarò talia obſervari. Occurrit etiam hujuſmodi locutio in S. Luca (c): ταῦτα ἃ θεωρεῖτε, ἐλεύσονται ἡμέραι ἐν αἷς οὐκ ἀφεθήσεται λίθος ἐπὶ λίθῳ:

haec

(a) Homer. Iliad. 3. (b Polyaen. lib. 1. c. 15.
(c) Luc. c. 21. n. 6.

haec quae videtis, venient dies, quibus non relinquetur lapis lapidi impoſitus : quo in loco nominativus ταῦτα nullum habet verbum, quod ſequatur. Praeter anomalias caſuum, aliae etiam, quae ad numerum ſpectant, reperiuntur. Homerus (a) de Diomede loquens, habet : καρπαλίμως δ' ἵππων ἐπεβήσατο : *ſtatim verò equos conſcendit* : & paulò infra idem de Thitide repetit ἐπεβήσατο δ' ἵππων : *conſcendit autem equos*, quae ita verſa qui legat, Typographi, an Interpretis error ſit, ſuſpicari poteſt. Sunt quaedam etiam proverbialia dicta propria Graecorum, quae in Latinum converſa haud ſunt intellectu facilia. Tale illud Anacreontis (b)

Κραδίη δὲ ῥινὸς ἄχρις
Ἀνέβαινε.

ita verſum ab Henrico Stephano : *Mihi jamque ſubſilibat cor ad ima naris uſque* : quibus verbis non omnibus perſpectum erit, ſignificaſſe Anacreontem, ſe jam agere animam. Contingit quoque ut plurimùm, Latinam interpretationem Graeci textus vim, & robur amittere, cujuſmodi haec : *Pueri probra rurſus ingerebant* : quae plenè id, quod dicit Anacreon (c), non exprimit

ἐπεκερτόμων δὲ παῖδες
Δακέθυμά μοὶ λέγοντες

nam

(a) Homer. Iliad. 10. (b) Anacreon. Od. 7.
(c) Idem Od. 7.

nam vox compoſita δακέθυμα non ſignificat ſolùm *probra*, ſed verba, quae mordent animum. Aequivoca etiam aliquando eſt interpretatio, ut haec: *volo mundare*: quae verba ſunt Chriſti apud Matthaeum (a) ad leproſum ſalutem poſcentem, nam pro infinito ſumi poteſt τὸ *mundare*, quum revera imperativum ſit, ut patet ex Graeco textu: θέλω, καθαρίσθητι. Immutationes quoque vocum reperimus in interpretationibus, utcumque hoc accidat. Locus Suidae verbo ABARIS ſic vertitur: *Hujus* (Abaris) *illa fabulis celebrata ſagitta, volantis ex Scythia uſque ad Hyperboreos Scythas*; ſed Graecus textus ita ſe habet: τοῦτο ὁ μυθολογούμενος ὀϊστὸς τοῦ πετομένου ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος μέχρι τῶν ὑπερβορέων: ubi voces ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος indicant debuiſſe verti *ex Graecia*, non *ex Scythia*. Quamplura alia hujuſcemodi praetereo, ne fines orationis excedam; & unum ſolummodo animadverto, quod a paucis fortaſſe adhuc obſeruatum fuit; quot nempe lepores, ac venuſtates amittant Oratores, & Poëtae Graeci, ac praecipuè noviſſimi, ſi vertantur, cum in alienа lingua nonniſi pura ſententia adſervetur. Et revera deme Latinis, ut Virgilio, Horatio, atque Italis, ut Arioſto, Taſſo me-

(a) C. 8. n. 2.

metrum, ac numerum, ut verſus ſoluta oratio fiat: quae diverſa illis facies, ac decor! Profectò ſi aliis verbis ſequens verſus efferatur (a):

Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum:

omnis imaginis ſpecies, ac venuſtas, quae ex peculiari vocum ſonitu, atque complexu oritur, illico evaneſcet. Hoc potiſſimum, ut opinor, in cauſa eſt, cur Homerus non modò a vulgaribus ingeniis, ſed a quibuſdam etiam viris doctis inſulſus habeatur, cum nova lingua, eaque incompta, ac hujuſmodi imaginibus ſpoliata loquentem audiant; quos quidem pulcherrimos Graecorum Poëtarum colores Graecam linguam callentibus intueri licet. Jam verò quo loco ſint, qui in ea ſunt haereſi, ut, quia Graeca penè omnia latinè verſa habemus, putent nullius eſſe commodi, nullius utilitatis, hujus linguae ſtudium, ſecum ipſi perpendant.

LVII. Concluditur origines, fonteſque ipſos Graecos adiri maximo cum fructu in omni ſcientia.

LVII. Ex iis enim, quae dicta ſunt, clarè patet nil ſolemnius dari illo, quod

Dulcius ex ipſo fonte bibantur aquae;

hominemque litteris deditum, ornatumque, qui alios, caeteris paribus cunctis, ſuperat huiuſce lingue ſtudio, maxima prae

(a) Virg. Aeneid. lib. 8.

prae illis, & ferè incomparabili pollere praerogativa ad omne genus eruditionis, & doctrinae conſequendum.

LVIII. Et quamvis Juriſprudentiae alia a reliquis facultatibus, diſciplinisque ſit ratio, utpote quae Romanis praecipuè, & Graecis haudquaquam natales debet ſuos, ut ſupra attigi (a), proptereaque videri poſſit ad illam minimè requiri linguae Graecae cognitionem; hac tamen in tractationis meae parte de ipſa pauca addere liceat. Diſtinguendum equidem puto inter id, quod neceſſarium eſt viro Juriſconſulto, qui fungitur Magiſtratu, aut Advocati officio, & quod neceſſarium eſt Interpreti, Doctorique Legum hanc diſciplinam ex Cathedra profitenti; & rurſus inter id, quod ſpectat ad rectè intelligendas PANDECTARUM Leges temporibus aureis, omninoque Latinis conſcriptas; & inter id, quod pertinet ad eas, quae poſt Conſtantini Magni Roma Byzantium abitionem conſtitutae ſunt. Has enim poſtremas Graecos mores ſapere omnino opus eſt, alteras minimè; nam prioribus tribus ſaeculis poſt Chriſtum natum, ut ſuperiùs demonſtratum fuit (b), nulla in re, quae ad Imperium ſpectabat

LVIII. Ne Juriſprudentia quidem excepta. At cum apta diſtinctione.

Q ſum-

(a) §. XL.
(b) §. XIII.

ſummopere , non retinebant , cuſtodiebantque linguae Latinae uſum ; conſtatque ex teſtimonio S. Gregorii Thaumaturgi , qui floruit ſaeculo ante Conſtantinum Magnum , Juriſprudentiam Latinis ex fontibus penitus hauriendam fuiſſe , etiamſi ipſi , quod quis miretur , ſatis barbara Latina lingua eſſe videretur (a) : Ἐκφρασθέντες δὲ καὶ παραδοθέντες τῇ Ῥωμαίων φωνῇ. Καταπληκτικῇ μὲν καὶ ἀλαζόνι καὶ συσχηματιζομένῃ αὐτῶν τῇ ἐξουσίᾳ τῇ βασιλικῇ , φορτικῇ δὲ ὅμως ἐμοί : *Conceptae verò ſunt , ac traditae Romanorum lingua, terribili quidem , atque ſuperba , & imperium , quod obtinent , praeſeferente ; caeterum mihi moleſta , & barbara* . Praetorum enim cunctorum decreta Latina eſſe oportebat , docente Triphonino Juriſconſulto (b) . Hinc doctiſſimi Juriſconſulti diviſerunt Juriſprudentiam in PRO-JUSTINIANEAM , JUSTINIANEAM , & POST-JUSTINIANEAM , quae ſuos interpretes minimè Graecae linguae expertes eſſe ſinit. Ante Juſtinianum enim plura numerantur fragmenta vetuſtiſſimorum Juriſconſultorum , inter quae cujuſdam Anonymi J.C. meminit Dionyſius Gothofredus

(a)

(a) Gregor. Thaumaturg. in laudatione Origenis apud Caſaubonum exercitat. in Baronium 9. art. 3.

(b) Lib. 48. ff. de re judic.

(a) qui librum ſcripſit DE JURIS SPECIEBUS, & MANUMISSIONIBUS, deſumtum ex Doſithei Graeculi Magiſtri homiliis, & Graecae linguae exercitationibus, ſive Grammatica. Hoc autem fragmentum de Latino olim in Graecum tranſlatum fuit, poſtque varias temporum, rerumque viciſſitudines Latinum periit, & Graecum ſolum ſuperfuit, quale quidem hodie extat editum a Petro Pitheo ſub finem collationis legum Moſaicarum A.D. MDLXXII.: *Unicum verò, & plurimis ſententiis conſtans* illud eſt, ut ſcribit dictus Auctor; quocirca dignum & utile lectu meritò cenſetur. Aevo autem ipſo Juſtiniani, quod renatae juriſprudentiae appellatum fuit propter miram diligentiam, qua totum antiquum jus collegit, digeſſit, & ad uſum ſtudioſae juventutis accommodavit prudentiſſimus Imperator, de quo meritò ſic ſcribit Paulus Diaconus (b): *Juſtinianus bella proſperè geſſit, & in cauſis civilibus mirificus extitit: Erat enim in fide Catholicus, in operibus rectus, in judiciis juſtus, omniaque ei concurrebant in bonum*: Aevo, inquam, ipſo Juſtiniani in Graecum juſſu ejuſdem, ut ſentiunt Antonius Auguſtinus, Vi-

 glius,

(a) Dionyſ. Gothofred. in not. Juris vet. Reliq.
(b) Paul. Diacon. lib. 18.

glius, aliique, verſi fuere quatuor INSTITUTIONUM libri a Theophilo Anteceſſore Conſtantinopolitano illuſtri viro, unoque e tribus, quibus illas concinnandi demandata fuit provincia; nec malè ſentiunt, ut opinor. Indicavit enim illas Angelus Politianus in ſuis Miſcellaneis, & Graecè deinde edidit Viglius Pariſiis MDXXXIV. nactus exemplar a Cardinali Bembo e Veneta Bibliotheca Manciana, & dein aliud a Joanne Baptiſta Egnatio; & cum primus titulus DE JUSTITIA, ET JURE deeſſet, illum ſupplevit. DIGESTA quoque comprehenſa libris quinquaginta, quae per Tribonianum, alioſque ipſi conjunctos componi juſſerat Juſtinianus e ſcriptis, & reſponſis Juriſconſultorum Romanorum, Graecè reddita ſunt a Thalalaeo aetate Juſtiniani. CODEX tandem in duodecim libros diviſus, in quem congeſtae ſunt omnes Conſtitutiones ab Hadriano uſque ad Theodoſium, in Graecum tranſlatus quoque fuit, ac hujuſmodi Graecum CODICEM viſum fuiſſe in Inſula Creta, ibique reperiri, Malembergus in Prologo ad Hermenopolum, & Balduinus in Prolegomenis affirmant. Cum verò in tanta legum copia obſcura quaedam inveniri ſoleant, nam ferè divinum eſſet, ſi nullae inſurgerent

te-

tenebrae, multum idcirco juvare poſſe Juriſconſultos Graecorum textuum cum Latinis collationem exiſtimo, ut quaelibet umbrae diſſipentur, atque evaneſcant, quod profectò fatebuntur eruditiſſimi quique JCti, qui cum in Pandectis praecipuè Graecas phraſes a Triboniano JCto Graeco inſertas paſſim inveniant, ex linguae Graecae deſiderio ſaepenumero laborant, ut quis ſit germanus ſenſus Auctoris ſaepe graeciſſantis conjicere poſſint. Poſt Juſtinianum verò in unum volumen conjectae ſunt a quodam collectore ignoto centum ſexaginta octo NOVELLAE a Triboniano compoſitae, ut Harmenopolus, Attaliota, Blaſtares, & Cujacius teſtantur: a variis, ut Balduinus e ſtilo conjicit, & malunt Giſanius in Oeconomia Juris, & Broeus poſt Alciatum, quae Graecè conſcriptae fuerunt, praeter paucas e ſtilo dignoſci ſolitas. Anonymus autem eas tranſtulit, & hujus eſt ea interpretatio, quam nunc habemus appellatam AUTHENTICAE, quia ſecundum ipſam ad verbum tranſlatae ſunt NOVELLAE. Graecè etiam conceptae ſunt CONSTITUTIONES, quae poſt editum primum Codicem inſertae fuerunt Codici repetitae praelectionis, ut loco citato teſtatur Gothofredus, qui de ipſis ita ſcribens,

ad-

addit : *periiſſeque videntur librariorum culpa , qui Avorum noſtrorum memoria Graecas litteras penitus ignorabant*. Conflati pariter fuere e Juſtiniani Edictis libri βασιλικῶν (Baſilicum vocant Graeci) in ſex τεύχη ſcilicet volumina diſtincti , indeque dicti ἑξάβιβλος , & in libros ſexaginta ſubdiviſi , indeque ἑξηκοντάβιβλος nuncupari , quorum Auctor fuit Leo Baſilii Macedonis Filius , etſi verus Auctor habendus eſſet Conſtantinus cognomento Porphyrogeneta , qui has βασιλικὰς ſub incudem revocavit , & novam ἀνακάθαρσιν , ſeu repetitam praelectionem in lucem emiſit . Innuit eas primus Viglius , qui in Praefatione ad Inſtitutiones Theophili : *Percurri* , inquit , *aliquando volumina* , *quod* βασιλικῶν *inſcribitur* , *bonam partem* , *quae libros quinque continebat* , *& titulos ex Pandectis* , *Codice* , *atque Novellis plus minus nonaginta . Inter hos primus titulus eſt De excuſatione tutorum* . Latinè autem edidit ſeptem Gentianus Hervetus , & tres Cujacius , quem ſi mors non praeveniſſet , caeteros etiam praeſtiturum eſſe teſtabatur Gifanius , ut loco jam dicto ſcribit Gothofredus . Poſt libros autem βασιλικῶν edidit porro Leo Philoſophus CONSTITUTIONES NOVELLAS CXIII. , quas nunc Agylaeo interprete habemus , iiſque utimur tantùm

in

in illis ; de quibus a Juſtiniano nihil eſt conſtitutum (a). En autem ut in tribus partibus, in quas dividimus Juriſprudentiam, ſeſe manifeſtam reddit Graecae linguae utilitas, Plura enim in unaquaque invenimus, quae cum e Graeco in Latinum tranſlata ſint, & uſum habeant in jure, expoſcunt idcirco, ne qui ſunt ſtudioſi juris, Graecae linguae expertes ſint. Hinc optimè Eberhardus SpecKan (b), de Novellis Graecè prius, ut vidimus, conſcriptis, Latinè deinde editis ſermonem habens, prae manibus habendum eſſe Graecum textum, ne interpretibus tantùm fidere, &, ut vulgò dicitur, alienis ſemper oculis, & auribus videre, & audire cogamur, admonet, ſuadetque. Sed ut meliùs etiam hoc ſibi ſuadeant, accipiant duo teſtimonia praeclariſſimorum Juriſconſultorum. Alterum eſt Antonii Mureti, qui in diſertiſſima quadam oratione habita Romae, quae eſt ejus orationum decimaſeptima DE METHODO JURISPRUDENTIAM DICENDI, deplorans barbariem, quae in JCrum ſcripta introducta erat, non arguit ſolum priſci

puri

(a) Cujacius lib. 17. obſerv. 31.

(b) Eberhard. SpeKan Opera omnia Juridico-Politico-Hiſtorico-Medica in Synopticâ Exogeti Juris Caeſarei num. 46. in fine.

puri idiomatis, ſed & linguae Graecae ignorantiam: *Extincto autem lumine Latinarum, & Graecarum litterarum, omnia denſiſſimis ignorantiae tenebris ſepulta, atque obruta tenebantur*. Alterum eſt Cujacii, qui meritò appellatur JCrum Conſultiſſimus, atque unicus in Jure Conſul ſine ſocio. Nunquam hercle ipſe commendatiſſimam illam expoſitionem l. cum de Indebito ff. de probation., & praeſumpt., qua legem hanc JCto Paulo vulgò adſcriptam, Triboniano eſſe tribuendam oſtendit, edidiſſet, niſi a Graeca lingua hujus rei cauſam petiiſſet. Ob frequentes enim Graeciſmos, quibus utitur Tribonianus, Auctorem ipſum hujus legis indicavit. Haec autem Graecae linguae peritia illa fuit, qua tot in Jure loca, quae inter ſe pugnare videntur, conciliare potuit Cujacius, quapropter egregiè dixit Philippus Jacobus Mauſacus in ſua doctiſſima Diſſertatione Critica (a) *In Jure quomodo putas unquam te in ſenſa* νομοθετῶν, *&* J*Crum penetraturum, niſi prius illorum ſcias characteres, & ſtilum diſcernere? Si te Triboniani Graeciſmi decipiant, ejuſque ſtylum ad antiquorum Juriſprudentium loquendi generibus diſtinguere non noris, num quaeſo magnus eris Juriſconſultus? Si*

te

(a) Phil. Jacob. Mauſac. Diſſert. Critic. de Harpocrat. p. 399.

te frequenter Scaevolae , & aliorum Achaiſmi remorentur , num pulchras , & ſubtiles legum effinges hypotheſes ? . . . . Quomodo infinitis in locis juris Magni Triboniani ſceleſtam manum odorari , ut in ll. illis adeo inter ſe contrariis Cum probatio de Probationibus , & Quaero §. ultim. ff. de Aedilit. Edict. , & in l. Cum quidam §. ultim. ff. de Uſur. , aliiſque innumeris locis , qui paſſim occurrunt in ejus Obſervationibus , niſi multum , diuque exercitatus in parte illa Critices (necnon linguae Graecae) fuiſset. , quae docet nos Auctores inter ſe diſtinguere , & eorum loquendi formulas ? Sanè cum plerique JCti perlegentes caput Quintae Tabulae Romanorum , in qua libera cuique tribuebatur poteſtas ſuper re ſua teſtandi , ſive legandi , (quod caput ad Teſtamenta , & legitimas ſucceſſiones pertinet) in illa verba SUPER PECUNIAE , TUTELAEQUE REI SUAE incidiſſent , factum eſt , ut priſcae locutionis ignoratione illud peſſimè depravaverint perperam ſcribentes SUPER PECUNIA , TUTELAQUE REI SUAE , quod ex Pandectis Piſanis tandem reſtituit eruditiſſimus Cujacius , reponens SUPER PECUNIAE , TUTELAEQUE REI SUAE , qui hoc nunquam feciſſet , niſi Graeca lingua adjutus , Romanos illos ſecundum

pro ſexto caſu Graecorum more uſurpaſſe, noviſſet. Caeterùm omnium ad aures reſonant adhuc nomina illa doctiſſimorum Legum Interpretum, qui Graecarum litterarum ope reliquis in hoc agone palmam praeripuere: Alciati ſcilicet Mediolanenſis, qui primus barbariem ex Juriſprudentia eliminavit: Tiraquelli, Hottomanni, Briſſonii, Cujacii, Budaei, Salmaſii, Grotii, qui omnes pari paſſu ambulant cum caeteris Reipublicae Litterariae ſui aevi Principibus, hoc eſt cum Politiano, Mureto, Lambino, Lypſio, Manutiis, Scaligeris, Voſſiis, Turnebo, Gyraldo, Victorio, Fulvio Urſino, Geſnero, Clenardo, Golza, Caſaubono, Pontano, Pancirolo, Sirmondo, Petavio, Allatio, aliiſque quampluimis ejus farinae hominibus. De aetatis noſtrae autem praeclariſſimis viris, qui aut in Humanitatis ſtudiis, aut in Legum interpretatione ope Graecarum litterarum laudem aſſequuti ſunt, planè taceo. Vereor enim, ne nominando multos, & non omnes injurius fuiſſe videar reliquis. Unum tamen hoc ſupererat demonſtrandum, quo nil potius addi poteſt, ſcilicet Juriſprudentiam Reginam ſcientiarum, dignitatum diſpenſatricem, ipſam etiam non parum ornamenti, & auxilii accipere a Grae-

Graeca Eruditione , ut eò magis adoleſcentium animos incenderem.

LIX. Brevis, & ſummaria Aʼνακεφαλαίωσις, & adhortatio ad litteras Graecas addiſcendas.

LIX. Hoc ſaltem peregiſſe me puto, ni mea me ſpes fefellerit, ut nomen meum liberaverim, promiſſaque, quae initio feci, ſervaverim, oſtendendo laudem Philoſophiae, ſcientiarum, humaniorumque ſtudiorum conſtanter iis in locis, temporibus, & apud illos viros fuiſſe, penes quos, quibuſque in locis, atque aetatibus Graecae linguae viguit uſus, cultuſque: & ita inpoſterum fore: Romanos, quorum ad exemplum nos componere adeo nobis placet, ipſi omnem operam impendiſſe, propatereaque imitandos nobis eſſe hac in re, non quidem quòd fuerint Romani tantùm, quòdque illo traherentur amore; nam ſi hoc ſufficeret ad nos excitandos ad eorum imitationem, dicendum foret etiam, quòd illa uti deberemus, qua ipſi exercebantur, arte gymnaſtica, & gymnica, quas e Graecis itidem acceperant; balneis etiam, atque unguentis, & ſexcentum aliis, quae in deſſuetudinem abiere, noſtrique temporis moribus haud conveniunt; ſed quia id fati illiſcum commune habemus, ut eaſdem ſcientias, diſciplinas, arteſque liberales, paucis mutatis, ambiamus, depereamuſque; quapropter maximopere ad unumquodque eorum ſtu-

diorum commovere nos debet exemplum tot praeſtantiſſimorum virorum, Heroum, Imperatorumque, & inprimis Caeſaris Marci Antonini Philoſophi, quem ſupra (a) diximus, Auditorem fuiſſe Hermogenis, & quem minimè puduit adverſaria ſuis manibus deferentem Sexti Philoſophi ſcholam frequentare, auctore Philoſtrato (b) Ἐσπούδαζε μὲν ὁ αὐτοκράτωρ Μάρκος περὶ Σέξτον τὸν ἐκ Βοιωτίας φιλόσοφον, θαμίζων αὐτῷ, καὶ φοιτῶν ἐπὶ θύρας. ἄρτι δὲ ἥκων ἐς τὴν Ῥώμην ὁ Λούκιος, ἤρετο τὸν αὐτοκράτορα προϊόντα, Ποῖ βαδίζει, καὶ ἐφ᾽ ὅ, τι; καὶ ὁ Μάρκος, καλὸν ἔφη, καὶ γηράσκοντι τὸ μανθάνειν. εἶμι δὲ πρὸς Σέξτον τὸν φιλόσοφον μαθησόμενος ἃ οὔπω οἶδα. καὶ ὁ Λούκιος ἐξάρας τὴν χεῖρα ἐς τὸν οὐρανὸν, ὦ Ζεῦ, ἔφη, ὁ Ῥωμαίων βασιλεὺς γηράσκων ἤδη δέκτον ἐξαψάμενος, ἐς διδασκάλου φοιτᾷ ὥσπερ οἱ παῖδες. *Marcus Imperator ſtudioſus erat Sexti Philoſophi e Boeotia oriundi, adeout ipſum frequentaret, atque ad ejus fores ventitaret. Lucius verò recens Romam profectus rogabat Imperatorem iter conſpicientem, quònam iret, & ad quod negotium: Tum Marcus: Honeſtum eſt, inquit, etiam ſeneſcenti addiſcere; ideo ad Sextum Philoſophum vado, ut diſcam, quod nondum ſciò. Hìc Lucius, manu in Coelum ſublata, oh Jupiter! inquit, Romanorum Imperator jam ſeneſcens, Tabellis comprehenſis ad*

(a) §. XII.
(b) Philoſtrat. in Herod. Sophiſta.

ad Ludimagiſtrum pergit, ut pueri. Quod quidem in medium affero, non eo fine, ut cuipiam Principum, Magiſtratuumque noſtrorum ſenio doctrina, ſummaq;rerum prudentia conſummato Caeſaris Marci Antonini Philoſophi exemplum imitandum adamuſſim objiciam: alia ipſis peragenda ſunt negotia, alia delibanda otia pro Reipublicae adminiſtratione, ad quam tractandam jam pridem omni inſtructi neceſſaria ſcientia acceſſerunt: nimirum etiam id a temporum noſtrorum moribus abhorreret, vulguſque inficetum intento ſperneret digito: nullumque Sextum adeſſe ſcio, a quo doceri illos quidquam poſſe opiner; ſed eò ut adoleſcentes, argumento ſumpto a loco, quem vocant Dialectici ἀπὸ τοῦ πλέονος πρὸς τὸ ἔλαττον (ſeu ἧττον) hoc eſt *a majori ad minus*, admoneam, illiſque comiter aures vellam, probro ne ſibi ducant limina accedere Palatinarum Scholarum, ut erudiantur Graecis litteris, ac reliquis diſciplinis, quae ibi traduntur, apertarum: ac ne perferre velint hac in re, non dicam Germaniae, Galliae, Magnae Britanniae, & Bataviae Academiis poſthaberi, ſed ne illis quidem Civitatum haud multò diſtantium, ut Patavii, Taurini, Mutinae, Felſinae, noſtraeque hujus Urbis, in quibus tanta aevi noſtri gloria, ac tanto omnium gen-

tium

Digitized by Google

tium exemplo, & admiratione ſeſe juvenes huic ſtudio addicunt, praeclara eorum progreſſuum ſpecimina quotidie edentes, tum in privatis, & publicis eruditorum virorum ad illos audiendos convolantium conſeſſibus, cùm etiam iis, quae frequenter cum magno litterariae Reipublicae gaudio in lucem proferunt.

LX.
Illos etiam quibus ob negotia majoris momenti operam dare litterarum graecarum ſtudio haud datum eſt, caeteris tamen animos addere quare deceat, oporteatque.

LX. Non me latet profectò, non omnibus ingeniis etiam elegantiſſimis, & ab ineunte aetate ἐκ πρώτης ἡλικίας, Graecae linguae elementis fortè imbutis, a muneribus Reipublicae, aut a re forenſi, aut familiari adminiſtranda, aliiſque intemperiis, negotiiſque, aut ſtudiis, vacare tempus, ut Graecas vigilent, aut vigilare continuent vigilias; quinimo eos cogi, aut invitos eas negligere, aut oblivioni tradere. Hos tamen, cum ipſis non liceat hoc ſtadium currere, reliquis tamen calcar, animoſque addere non modò decet, ſed oportet. Cujus rei ratio haec eſt, quod florentibus litteris Graecis in quorundam hominum inter nos, ſcriptorumque eruditorum ordine, fieri non poteſt, quin ab eorum ore, atque ſcriptis non fluant, manent, deriventurque in caeteros non penitus ἀμύσους rivuli, humoreſqee puriſſimi ad nutriendum ingenia, cogitationeſque apti, quibus efficitur, quod vulgò appellant,

Buon

Buon Guſto in ſcriptis lingua Latina, aut vernacula exaratis. Cuncti etiam, & ſinguli optimo cuique perquam ſimiles eſſe, vel videri cupiunt. Hinc fructus univerſae litterarum felicitatis inter ſingulos quodammodo diviſi, diſpenſatique. Ita hercule, ſi venuſtiſſimos nonnullos Poëtas Arcades numeramus, qui Pindarico, vel Anacreontico, vel Theocritico modulo quamplurimum valent, aut aures demulcent ſine litterarum Graecarum ſtudio; id illi ſanè in acceptis ferre debent caeteris, qui ipſis praeiverunt in eo curriculo, quique ex fontibus ipſis hauſtam limpidiſſimam illam undam Hippocrenes ad eos transfuderunt; quo factum eſt, ut imprudentes etiam quàm feliciſſimè graeciſſarent; & ſic de Oratoribus, & reliquis. Plura addere non e linguae praeſtantiſſimae, neque juventutis noſtrae dignitate eſſe exiſtimo. Viderer enim diffidere non modo virtuti Dominae tam ingentis formae, venuſtatiſque, veluti ſi uſus foret ipſi procos anxiè, ſollicitèque quaerere, ſpectatoreſque parare invitos, inſciioſque; ſed etiam injuriam facere ingeniis juvenum noſtratium. Quemadmodum enim nonnulli Philoſophi feruntur, auditorum ſuorum indolem diſcrimine quiſque ſuo probaſſe: Pythagoras ſcilicet ex inſomniis,

niis , quae per quietem vidiſſent : Plato in conviviis , atque potatione : Ariſtoteles ex orationis obſcuritate , ad quam eos explorabat , tanquam aquila infantes ſuos ſolis radiis objiciens : Quintilianus ex Ciceronianae lectionis amore ; ita mihi videtur iis explorandi ingenia modis hic alius addi poſſe , ut omen de juvenum in eruditionis negotio profectibus ſumatur a ſtudio , vel amore , quo ad Graecam linguam trahuntur .

LXI. De difficultate linguam Graecam addiſcendi praejudicata opinio eluitur , parvumque eſſe laborem, ſi comparetur cum fructu,& jucunditate, quam affert, oſtenditur .

LXI. Unum fortaſſis praetermiſiſſe vitio mihi dari poſſet , quod nimirum non attigerim vulgarem , praejudicatamque de nimia linguam Graecam addiſcendi difficultate opinionem . Equidem non contendam , rem nullo , aut planè facillimo negotio confici poſſe ; id unum tamen evincam , illa obſtacula non adeo pertimeſcenda eſſe ingeniis non omnino ignavis , ut ſibi de illis ſuperandis deſperent ; & forſitan oppidò ariolatus fuero , ſi crediderim illis tantùm videri non ſuperanda , qui vix , ac ne vix quidem , ſuam tentaverunt patientiam in hocce labore , quibuſque nihil cum Graecis litteris commercii , atque familiaritatis eſt . Auctor ſanè nobis eſt vir de re Graeca , atque univerſa litteraria optimè meritus , methodum eam addiſcendi tum fore facilem , quum

Grae-

Graecorum ſcripta eâdem , qua ſolemus Gallica, aut alia noſtri aevi, conſuetudine contrectabimus : nec piget ejus referre verba (a) : *Nos Humaniſtes devroïent tâcher de rendre la lecture des Auteurs Grecs tres commune, en la facilitant autant qu' il leur ſeroit poſſible . On verroit peutetre alors les perſonnes les plus relevèes ſe divertir a les lire, & a cauſe de cela procurer mille avantages a ceux, qui avroïent contribuè a leur divertiſsement. Je ne parle, que de divertiſsement, quoique je ſuis tres perſuadè, qu' on tireroit beaucoup d' utilitè de cette lecture ; parceque les perſonnes occupées dans les emplois de l'etat n' ont pas aſsez de tems pour faire une etûde formelle de cette ſorte de ſcience, & n' ont accoûtumé de lire l' antiquitè, que par une eſpece d' amuſsement, au contraire pendant, que ceux, qui ont de l' autoritè croiront, qu' il y a tant de peine a ſe rendre capable de lire les Auteurs Grecs, qu' il faut pour cela tout le loiſir de quelque oiſif, & emploier tout ſon temps a cette etûde; ils regarderont cette lecture comme une choſe, qui leur eſt defendûe, & viendront en fin a la mepriſer tout a fait, auſſi bien, que ceux qui l'eſtiment. Il ſeroit a ſouhaiter, que cela ne fut pas deja arrivé, mais ce ſera bien pis a l'ave-*

(a) Parrhaſian. tom. 1. §. IV. de la Decadence des Belles-lettres p. 243.

l' avenir ; ſi ceux qui aiment les antiquitez Greques n' y mettent ordre , en facilitant , plus qu' il n' ont fait juſqu' a preſent , cette eſpece d' etûde . Deinceps conſilium ſuum impertitur Auctor, & quae facilior ad ſtudium Graecae linguae aperiri poſſit via, egregiè oſtendit . Verùm, ne hujuſmodi quidem auxilia parentur ; cur denique adeo difficultates illas formidabimus, quas Daceria foemina ad virorum quoque invidiam apprimè erudita inter Gallos conſcendit , & ſuperavit ? Homerum ipſa , alioſque ſcriptores magna cum admiratione e Graeca ſuam in vernaculam tranſtulit, atque egregiè explanavit; neque ipſa quamquam caeteras noſtri aevi longè vicerit, una eſt , quae litteris Graecis cum laude operam navaverit. Non pudeat juvenes illarum ſequi exemplum, quippè Pindarum ipſum non piguit Mirthidis mulieris, teſte Suida, eſſe diſcipulum. At quanto, & qualicunque ad extremum opus ſit labore ad parandam Graecae linguae cognitionem, nullus fere is eſt , ſi comparetur maxima cum jucunditate, utilitate, & commodis, quae ex illa percipiuntur , ita ut impenſa quoque ſudoris, vigiliarumque multarum quaerendaeſſet, ut reliquae virtutes, uti appoſitè monet Heſiodus (a)

Tῆς

(a) Heſiodi Aſcraei Opera, & dies.

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
ἀθάνατοι μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν
καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται
ῥηΐδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.

Ante Virtutem ſudorem Dii poſuerunt
Immortales ; longa , & ardua via ad ipſam,
Et aſpera primum ; poſtquam ad ſummum ventum fuerit
Facilis deinde eſt , difficilis quamvis fuerit .

ΤΈΛΟΣ.

MAG 2011 A78

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google